


TKDraem.

1672. Spes mea Christ[us]

HIERONYMI ARCONATI LEORINI SILESII.

SAC. ROM. CAES. MAI. &c.
AB EPISTOLIS BELLICIS,

Poematum recentiorum volumen, in quo continentur

EPIGRAMMATA
ELEGIAE, ET
CARMINA HEROICA.

SERENISSIMO ARCHIDVCI AVSTRIAE ERNESTO, &c.
Principi optimo dicatum consecratumque.



VIENNAE AVSTRIAE, TYPIS
Nicolai Pierij. Anno 1591.



Typographus can-
dido & beneuolo lectori S.



ABES candide & beneuole lector, HIERONYMI ARCONATI, spectatæ virtutis, eximiæ doctrinæ, & multarum rerum cognitione præstantis viri, recentiorum poematum volumen, ex quo non solum quanta ingenii vbertate, & dicendi elegantia præditus sit, facilè perspicies: Verumetiam, quomodo tam erudita & lepida poemata meditari, atque conscribere potuerit, cum ferè omnem ætatem in peregrinationib⁹, & aulicis negotiis consumpserit, pro tuo candore admiraberis. Quod si tibi hæc grata fore (vti minimè dubitamus) intellexerimus, apud Arconatum; vt pariter humanissimus & candidissimus est, instare non desistemus, quò etiam cætera, quę olim in Creta miles, & posthac in aliis Europæ regnis peregrinus, naturali planè instinctu, præsentibusq; semper Musis confecisse videtur, in lucem prodire sinat, quæ

non modò propter argumenti varietatem, & sermonis gratiam, verumetiam reconditam quandam energiam, & exquisitas sententias tibi summopere arridebunt. Vale, & nostrum hoc institutum proba, & iuua. Viennæ Austriæ, Cal. Ian. Anno M. D. XCI.

AVTOR AD LECTOREM.

SI quid in his chartis occurrat mollius, aures
Radere quodúe tuas lector amice queat,
Da veniam, haud alij sunt mores temporis huius:
O te fœlicem qui leuitate cares.
Vt sine labe tamen nostros percurrere lusus
Poßis, virgineus nec rubor ora notet,
Prudentes imiteris apes, quæ dulcia amaris
Ex herbis etiam fingere mella student.
Vel si non potis hoc, ne saltem, sicut Arachne,
Suauibus è violis dira venena trahas.
Vt cuiq; est animus, sic prodest carmen obestq;
Aspergi maculis mens generosa nequit.


SERE-



SERENISSIMO

PRINCIPI ET DOMINO,
DOMINO ERNESTO ARCHIDVCI
Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ, Comiti Habſpurgi & Tyrolis, &c Domino ſuo clementiſſimo.


HIERONYMVS ARCONATVS LEORINVS
ſacræ Rom. *Cæſ. Maieſtati, &c. ab epiſtolis bellicis, meorum poematum recentiorum volumen deuotè* Dico *conſecroq́;.*



INclyte Dux ERNESTE, potens natalibus: ipſe
Sed mage virtutum diuite laude potens.
(Nam ſua certatim ſuperi in te munera fundũt,
Maior vt ipſo etiam tu videare Ioue.
Dat maieſtatem Iuno, ſophiamq; Minerua,
Leges ſacra Themis, Cynthius ingenium.
Candorem Charites, dat Suada diſerta leporem,
Mars animum, vigilans pectus Atlantiades.)

Ecce tibi crasso deducta poëmata filo
Qua decet & par est simplicitate damus.
Versiculos pro re nimirum & tempore natos
Mille inter curas, in variisq; locis.
Quando vacas animo, rebus mens quãdo soluta
Est grauibus, placido si lubet ore lege.
Augustus rerum moderator maximus olim
Sæpe libens cepit, carmina sæpe dedit.
Vsq; adeo cantu delectabatur amœno
Pieridum, & cythara Phœbe sonore tua.
At mea ni fuerint te tanto Principe digna:
(Nam tibi quis possit te dare digna satis?)
O saltem placeat certa & deuota voluntas,
Qua nihil & superis gratius esse reor.
Laus est magna, legat si magnus carmina Princeps
Maior, si authorem diligat, atq; probet.





HIERONYMI ARCONATI LEORINI Silesii Epigrammata.

AD DAVIDEM VNGNAD, LIBERVM *Baronem Soneccianum, Sacræ Cæs. Maiestatis, &c. Consiliorum bellicorum Præsidem.*

Bellonæ decus, & decus Mineruæ
O VNGNADE mihi colende semper
Qua summa veneratione possum,
Nosti quam variâ & parū secundâ
Fortuna fuerim tot vsus annos,
Dum virtutis amore plura vastæ
Europæ penetro & pererro regna.
Tutum nunc sibi fessa concupiscit
Portum nauis, & anchoram tenacem,
Ipsa deficiunt labore tanto
Vela, & si fieri queat, libenter
Secura cuperent frui quiete.
Nauclerus precor ô meæ carinæ
Tu nunc esto, & eam benignioris
Afflatu Zephyri diu petito,
Tranquilla in statione, collocato.

Sat iam sat dubiis agor procellis,
Sat iam sat querimoniis acerbis
Eheu conficior molestiisq́;,
Tu me tū potes omnium Patrone
Humanissime, si velis, iuuare:
Nam te præ reliquis Deus beauit,
Et posthac etiam volet beare,
Numē Cæsareum tibi, benignum est,
Fratres Cæsarei fauent, per omnes
Oro te superos, tuas per amplas
Virtutes rogo, pectorisq́; dotes,
Fac ne distrahar amplius vagerq́;,
Aetas quod negat hæc dabit futura;
Nemo nascitur artifex, sed vsu
Ars venit docilíq; parta mente.

IN EFFIGIEM HIERONYMI BECK
à Leopolsdorf, Cæs. Mai. &c. à Cons.

VVltus Aristotelis nō hic, nō Socratis est hic,
Tantus in amborum vix fuit ore decor,
Ille ingens tenero varios HIERONYMVS æuo
Qui vidit populos, & mala multa tulit,
Vt sibi virtutem veram, nomenq́; pararet,
Tempore quod nullo fama abolere queat,
Hoc vultu, hoc habitu spectatur: qualis vbiq́;
En grauitas morum, qualis & integritas:

Plura nequit pictor: bona cætera pectoris atque
Ingenij nemo sat memorare potest.

In eiusdem bibliothecam.

Hospes siste gradum, non huc intrare cuiuis
Permissum, procul hoc esto prophane loco,
Est etenim sacer, & Phæbo Musisq; dicatus.
Hic sedem Themis, hic inclita Pallas habent.
Queis doctam cingit frontem Parnasia laurus,
Et rigat Aonius labra diserta liquor,
Queis Sophię & Legũ venerãda scientia curę est,
Et quos res varias perdidicisse iuuat.
Panditur his solis sacrati ianua claustri,
His solis fas est carpere delitias.
Nectar & ambrosiam quæ vincunt, nectare vel si
Quid melius, vel sit suauius ambrosia.
Hic sunt Parnassusq; Heliconq;, hic aurea tempe
Pieridum, hic surgunt Aonij latices.
Graiorum datur hic scitari oracula vatum,
Et legere ex ipsis Attica mella fauis.
In promptu Latiæ dulcis facundia linguæ est,
Seu fuerint belli tempora siue togæ.
Hic Itali, Galli, Hispani sermone loquuntur
Diuerso, atq; alij præterea populi.
Quid multis? hic Nilus habet sua munera, Gãges
Hic habet, o supero limina digna Ioue.
Sed mage te digna o felix HIERONYME, cuius
Aere, labore, opera, sic decorata nitet.

Crocodilus eiuſdem.

Accola liber eram Nili, captiuus in vrbem
 Quam Mēphim dicunt ſecula priſca, trahor.
Inde feror longo tractu terræq; mariſq; :
 Ad loca Pannonico proxima Danubio.
Lumine ſed caſſus, vita ſpoliatus, amaris
 Non potui dominum flectere lacrymulis.
Hæ ſunt exuuiæ noſtræ: Germania gaude
 Ex Aegypto etiam quæ ſpolia ampla refers.

AD BERNARDVM REISACHERVM
Caeſ. Mai. &c. à conſiliis, & ſecretis bellicis.

REISACHERE quid hoc? alios commendat honeſtas
 Frontis, & ingratum me mea forma facit?
At fuit in pulchro quondam gratiſsima virtus
 Corpore, quantumuis deſit vtrumq; mihi.
Conueniens minus eſt ætas? ſex luſtra peregi,
 His ego deſidiæ tempora nulla dedi.
Exangues rugæ quaſi promereantur honores;
 Vita iuuat, licet hæc ſit breuis, acta bene.
Hac non ſucceſsit, neq; enim ſuccedere fato
 Debebat forſan, quod meliora feret.
Interea nobis ſi tu de more fauebis,
 Ridebo quicquid turba prophana ſtrepit.

AD HENRICVM NICHARDVM, CAES. *Maiestati, &c. itidem à secretis bellicis.*

QVando aliter nequeo afflictam traducere vitam,
Et mihi non famam dat, sed Apollo famem.
Aula diu neglecta tuas en rursus ad ollas
Confugio, & miseras expeto delicias.
Aeternum pudeat diuas Heliconis, alumnum
Pascere quod nequeant numina tanta suum.
Quisquis es, ingratas Parnasi despice lauros,
Ipsum temne inopem carminis usque deum.
Ille quidem promittit opes, at rarà poetis
Præmia dantur, habent nil nisi inane decus.
Ah decus hoc pereat, quouis m ser esse poetæ
Quàm titulo mal m, vile poëma vale.

IN TABELLAS QVASDAM CHOROGRAphicas, *Ferdinandi VVeidneri à Billerburg.*

MAgno animo quicquid VVEIDNERVS vidit & egit:
Dum terra & pelago munera Martis obit.
Hæc monumenta docent: illum testabitur ætas
Postera perpetuum commeruisse decus.

Aliter in easdem.

Qualia pertulerit, quæ fortibus egerit ausis
Dum sequitur vario Martia signa loco.

VVEIDNERVS, referũt tabulę ſpectantibus iſtę,
Et vitare pigros otia lenta iubent.

AD NICOLAVM REVSNERVM
Leorinum I.C. & Poetam præclarum.

CArmina tot veniunt nobis REVSNERE legenda
Aere, opera, & ſtudio magne poeta tuo,
Sæpius vt rapiat ſumma admiratio mentem,
Et dubitem fieri qua ratione queat.
Scripſerunt alij complura poemata, dexter
At conceſsit eis otia plura Deus.
Tu docilem informas virtute atq; arte iuuẽtam,
Tu tractas rigidi dogmata dura fori.
Dicam equidem, totũ te poſsidet entheus ardor,
Et tibi de cœlo prouenit ille vigor.
Fallor, an es Phæbus? Iouis indulgẽtia quãta eſt,
Lumina tu terræ das, dat Apollo polo.

In eiuſdem ſymbolum FER SIC FERRIS.

Fer ſi vis ferri, tuleris bona multa ferendo:
Ferre nequis? ferris tu neq;, nilq; feres.

IN SYMBOLVM IACOBI MONAVI
Patricij Vratiſlauien. IPSE FACIET.

QVi ſuum facit ipſe diligenter
Munus, reſq; probe adminiſtrat omnes
Haud

Haud externæ opis indigus, meretur
Certe laudem aliquam, poteſtq; dici
In mortalibus haud parum beatus:
At qui munere diligenter ipſe
Suo fungitur, ipſe res & omnes
Solerter facit, in Deo tenacem
(Exemplo atq; tuo MONAVE more)
Seu ſors aſpera ſæuiat, ſereno
Siue arrideat ore, ſpem reponens:
Hic non eſt modo non parum beatus
In mortalibus, ipſe ſed creator
Et rerum arbiter omnium benignus
Hunc diuina ope ſeruat ac tuetur.
Quin imo ipſe facit regitq; cœpta
Eius, & faciet Deus regetque
Donec carcere corporis recluſo
Cœleſtes anima inſeratur inter
Choros, ſola vbi, vera & abſoluta
Eſt & ſemper erit beatitudo.

In idem.

Qui facienda Deo committit cuncta, nihilq;
Ipſe facit, facit huic & Deus ipſe nihil.
Tu vero ipſe facis facienda MONAVE, Deumq;
Cætera facturum ſpeq; fideq; tenes.
Hinc adeo facit ipſe Deus facietq; quod optas:
Perge modo, & ſolers, quod facis, vſq; face.

IN BERNARDVM QVENDAM
perditissimum beluonem.

TEmpora sint BERNARDE nigris tibi nec corymbis,
Et rutila viridis pendeat vua coma.
Dextra gerat titubās thyrsum, regat altera asellū.
Vel Silenus eris, vel deus ipse meri.

In eundem maledicum.

Omnia quod rodis, quod mordes dente canino
Quis te non rabidum dixerit esse canem?
Sed quia nulla facis cum sanguine vulnera, nō es
Re canis, ignauus nomine sed cynicus.

In quendam sartorem.

Qui vilis fueras & iners, & sartor egenus;
Vxoris locuples factus es ære tuæ.
Immodici luxus apponis fercula mensis;
Ex auro longe vina petita bibis.
Veste tegis molli corpus, digitosq; smaragdis;
Quattuor ingenti robore pascis equos.
Cæsaris ad cultos crebro proficisceris hortos,
Sæpeq; thermarum delitiis frueris.
Interea requiescit acus, cum forcipe pannus
Negligitur: quantum res aliena potest.
At si defuerit fugitiua pecunia? quid tunc?
Rursus eris sartor vilis, egenus, iners.

De vxore submersa, & viro.

Quidam maritus coniugem audiens suam
In amne vicino perisse, protinus
Erumpit, aduersiq; currit fluminis
Ripa, si eam queat fluentem cernere:
Cur non secundo currat amnis gurgite
Rogatus, inquit: Viua coniux omnia
Præpostere fecit, reor quod mortua
Faciat idem, nec defluat, sed refluat.

EPITAPHIVM STEPHANO
Cargio; Poetæ eximio.

CArgius hoc seclo Germanos inter & arte
  Eximius vates & foret ingenio,
Parcius hausisset si ingrati pocula Bacchi:
  O quantum Phœbo Bacchus iniquus obest.
Quod sibi Castalia nomen quæsiuerat vnda,
  Perdidit immodico Cargius ecce mero.
Perdidit & vitam, vix ah vix factus ephebus!
  I nunc innumeros verte poeta scyphos.

AD HVGONEM BLOTIVM I. V. D.
& Cæsareæ Bibliothecæ Præfectum.

QVid tibi cũ nostris Bloti doctissime nugis?
  Non sunt hæc oculis carmina digna tuis:

Ludimus interdum ne nos labor obruat ingens,
Alleuat afflictum Musa iocosa animum.
Porsius Aoniæ quem lactatere puellæ
Oblectet cythara te, numerisq; suis.
Ocia sunt illi, sunt tersi carminis artes,
Vsu multiplici præstat, & ingenio.
Si tamen esse aliquid reris mea scripta, dapalem
Non nisi post cœnam largaq; vina lege.

AD DAVIDEM VNGNAD, &c.
Constantinopolim profecturus.

AVspiciis VNGNADE tuis cõscẽdo veredũ,
Et leuis extremos Thraces ad vsq; volo.
Obuia nil timeo quæcunq; pericula fiant,
Turcarum facio sæuitiamq; nihil.
Qui me iam toties duxit Deus atq; reduxit,
Vt possim quoq; nunc ire, redire, dabit.
Si qua tamẽ capiti obtingant discrimina nostro,
Aut aliquis casus sit mihi causa necis,
Postera felicem me dicent secula, qui pro
CAESARE, pro patria fortiter occiderim.
Sit precor interea Cæsar, sit patria felix,
Et tibi res cursu prosperiore fluant.

NICOLAO ENGELHARDO
Argentoratensi, amico veteri.

HÆc monumẽta sui tibi fidus linqt amicus,
Cumq; his cor ipsũ linqt, & ipsã animã.

Absens

Absentem parili tu complectaris amore:
Sic toto stabit tempore nostra fides.

AD BARTHOLOMAEVM PEZENVM V. I. D. *& Caesareae Maiestati à secretis, apud Murathem* III. *Turcarum Imp.*

DVm nos liberius iocamur, atque
Curis ex animo parum remotis
Mensas protrahimus mero secundas,
Passu obambulat asper incitato
Et tristi facie Cato: quid ista
Morum BARTHOLOMAEE difficultas
Quaeso vult sibi? num quod ipse dona
Iucundissima despicit Lyaei,
Nobis inuidet, & liquore fontis
Vti nos puteique malit omnes?
Heu fontes, puteique, cum Catone
Seuero & rigido valete, dirus
Vos luctus comitatur atque pallor.
Vinum laeticiam parit bibenti,
Vinum pectoris anxios dolores
Mentis sollicitudinesque demit.
Vinum perpetuo vigore firmans
Iuuentam, exuit asperas senectae
Rugas: ipse velut meri creator

Constantis est munus viri,
Prudentis efferri minus
Rebus fluentibus bene.
Vtrumq; Leuenklauius
Cum norit, vno dicitur
Ore omnium ter & quater
Beatus in mortalibus.

IN MANLINVM, ET EIVS Vxorem.

MANLINVS melius suæ maritæ
Lasciuæ cupit, & satis politæ.
Ipsi quàm sibi, quàm suis ocellis,
Non quòd sit speciosa, quòd pudica,
Sed quòd desidia procul remota
Questu quem capit ex labore grato
Seruet sola domum, augeat, regatq;.

In Angelicam.

Largius ignauam quod prandens fundis in aluū,
Illud idem pransus turpiter ore vomis.
Hoc bibulos omnes facilè æquas, viceris omnes
Cum sanie fædam quando vomes animam.

AD BARTHOLOMAEVM Pezenum.

Hoc


HOc etiã accedit cumulo PEXENE malorũ,
Cogar vt infelix frigora sæua pati.
Horrida bruma niues terris dẽso agmine spargit,
Et Notus insano turbine cuncta quatit.
Ligna focis arsura tamen prohibentur, & artus
Exiguæ pelles, raraq; lana tegit.
Ah ego si tantas merui quo crimine pœnas,
Cur illas mecum innoxia Musa ferat?
Aspice quàm toto malè corpore frigeat, & quàm
Vix queat in numeros cogere verba suos.
Fac, per Calliopes oro venerabile numen
Vt mea crypta tua sæpe calescat ope.

In quendam diuitem insolentem.

Quòd pendet toga crassiore lana
Nostris ex humeris, caretq; fuco
Vestis intima, seruulus ministrat
Nec vllus mihi, sed minister ipse
Sum mihi dominusq;, tu proteruè
Subsannas, malè tu cies cachinnos.
Res turpis quasi sit minusue nota
Egestas: age dic tuam quid olim
Cum materna relinqueres verenda,
Aluum, cætera membra quid tegebat?
Infans nudus eras, mihiq; nulla
Parte dissimilis, parentum iniquo

Ecce tibi crasso deducta poëmata filo
  Qua decet & par est simplicitate damus.
Versiculos pro re nimirum & tempore natos,
  Mille inter curas, in variisq; locis.
Quando vacas animo, rebus mens quādo soluta
  Est grauibus, placido si lubet ore lege.
Augustus rerum moderator maximus olim
  Sæpe libens cepit, carmina sæpe dedit.
Vsq; adeo cantu delectabatur amœno
  Pieridum, & cythara Phœbe sonore tua.
At mea ni fuerint te tanto Principe digna:
  (Nam tibi quis possit te dare digna satis?)
O saltem placeat certa & deuota voluntas,
  Qua nihil & superis gratius esse reor.
Laus est magna, legat si magnus carmina Prin-(ceps,
  Maior, si authorem diligat, atq; probet.





HIERONYMI ARCONATI LEORINI Silesii Epigrammata.

AD DAVIDEM VNGNAD, LIBERVM *Baronem Soneccianum, Sacræ Cæs. Maiestatis, &c. Consiliorum bellicorum Præsidem.*



Bellonæ decus, & decus Mineruæ
O VNGNADE mihi colẽde semper
Qua summa veneratione possum,
Nosti quam variã & parũ secundã
Fortuna tulerim tot vsus annos,
Dum virtutis amore plura vastæ
Europæ penetro & pererro regna.
Tutum nunc sibi fessa concupiscit
Portum nauis, & anchoram tenacem,
Ipsa deficiunt labore tanto
Vela, & si fieri queat, libenter
Secura cuperent frui quiete.
Nauclerus precor ô meæ carinæ
Tu nunc esto, & eam benignioris
Afflatu Zephyri diu petito,
Tranquilla in statione, collocato.

Sat iam ſat dubiis agor procellis,
Sat iam ſat querimoniis acerbis
Eheu conficior moleſtiisq́ꝫ,
Tu me tū potes omnium Patrone
Humaniſsime, ſi velis, iuuare:
Nam te præ reliquis Deus beauit,
Et poſthac etiam volet beare,
Numē Cæſareum tibi, benignum eſt,
Fratres Cæſarei fauent, per omnes
Oro te ſuperos, tuas per amplas
Virtutes rogo, pectoriſq́ꝫ dotes,
Fac ne diſtrahar amplius vagerq́ꝫ,
Aetas quod negat hæc dabit futura;
Nemo naſcitur artifex, ſed vſu
Ars venit dociliq́ꝫ parta mente.

IN EFFIGIEM HIERONYMI BECK
à Leopolſdorf, Cæſ. Mai. &c. à Conſ.

VVltus Ariſtotelis nō hic, nō Socratis eſt hic,
Tantus in amborum vix fuit ore decor,
Ille ingens tenero varios HIERONYMVS æuo
Qui vidit populos, & mala multa tulit,
Vt ſibi virtutem veram, nomenq́ꝫ pararet,
Tempore quod nullo fama abolere queat,
Hoc vultu, hoc habitu ſpectatur: qualis vbiq́ꝫ
En grauitas morum, qualis & integritas:
Plura

Plura nequit pictor: bona cætera pectoris atque
 Ingenij nemo sat memorare potest.

In eiusdem bibliothecam.

Hospes siste gradum, non huc intrare cuiuis
 Permissum, procul hoc esto prophane loco,
Est etenim sacer, & Phæbo Musisq; dicatus.
 Hic sedem Themis, hic inclita Pallas habent.
Queis doctam cingit frontem Parnasia laurus,
 Et rigat Aonius labra diserta liquor,
Queis Sophię & Legū venerāda scientia curę est,
 Et quos res varias perdidicisse iuuat.
Panditur his solis sacrati ianua claustri,
 His solis fas est carpere delitias.
Nectar & ambrosiam quæ vincunt, nectare vel si
 Quid melius, vel sit suauius ambrosia.
Hic sunt Parnassusq; Heliconq;, hic aurea tempe
 Pieridum, hic surgunt Aonij latices.
Graiorum datur hic scitari oracula vatum,
 Et legere ex ipsis Attica mella fauis.
In promptu Latiæ dulcis facundia linguæ est,
 Seu fuerint belli tempora siue togæ.
Hic Itali, Galli, Hispani sermone loquuntur
 Diuerso, atq; alij prætereа populi.
Quid multis? hic Nilus habet sua munera, Gāges
 Hic habet, o supero limina digna Ioue.
Sed mage te digna o felix HIERONYME, cuius
 Aere, labore, opera, sic decorata nitet.

Crocodilus eiusdem.

Accola liber eram Nili, captiuus in vrbem
Quam Mēphim dicunt secula prisca, trahor.
Inde feror longo tractu terræq; marisq; :
Ad loca Pannonico proxima Danubio.
Lumine sed cassus, vita spoliatus, amaris
Non potui dominum flectere lacrymulis.
Hæ sunt exuuiæ nostræ: Germania gaude
Ex Aegypto etiam quæ spolia ampla refers.

AD BERNARDVM REISACHERVM *Cæs. Mai. &c. à consiliis, & secretis bellicis.*

REISACHERE quid hoc? alios commendat honestas
Frontis, & ingratum me mea forma facit?
At fuit in pulchro quondam gratissima virtus
Corpore, quantumuis desit vtrumq; mihi.
Conuenientis minus est ætas? sex lustra peregi,
His ego desidiæ tempora nulla dedi.
Exangues rugæ quasi promereantur honores;
Vita iuuat, licet hæc sit breuis, acta bene.
Hac non successit, neq; enim succedere fato
Debebat forsan, quod meliora feret.
Interea nobis si tu de more fauebis,
Ridebo quicq[illegible] turba prophana strepit.

AD

AD HENRICVM NICHARDVM, CAES.
Maiestati, &c. itidem à secretis bellicis.

QVando aliter nequeo afflictam traducere vitam,
Et mihi non famam dat, sed Apollo famem.
Aula diu neglecta tuas en rursus ad ollas
Confugio, & miseras expeto delicias.
Aeternum pudeat diuas Heliconis, alumnum
Pascere quod nequeant numina tanta suum.
Quisquis es, ingratas Parnasi despice lauros,
Ipsum temne inopem carminis vsque deum.
Ille quidem promittit opes, at rarà poetis
Præmia dantur, habent nil nisi inane decus.
Ah decus hoc pereat, quouis miser esse poetæ
Quàm titulo malim, vile poëma vale.

IN TABELLAS QVASDAM CHOROGRA-
phicas, Ferdinandi VVeidneri à Billerburg.

MAgno animo quicquid VVEIDNERVS vidit & egit:
Dum terra & pelago munera Martis obit.
Hæc monumenta docent: illum testabitur ætas
Postera perpetuum commeruisse decus.

Aliter in easdem.

Qualia pertulerit, quæ fortibus egerit ausis
Dum sequitur vario Martia signa loco.

VVEID-

VVEIDNERVS, referũt tabulę ſpectantibus iſtę,
Et vitare pigros otia lenta iubent.

AD NICOLAVM REVSNERVM
Leorinum I.C. & Poetam præclarum.

CArmina tot veniunt nobis REVSNERE legenda
Aere, opera, & ſtudio magne poeta tuo,
Sæpius vt rapiat ſumma admiratio mentem,
Et dubitem fieri qua ratione queat.
Scripſerunt alij complura poemata, dexter
At conceſsit eis otia plura Deus.
Tu docilem informas virtute atq; arte iuuētam,
Tu tractas rigidi dogmata dura fori.
Dicam equidem, totũ te poſsidet entheus ardor,
Et tibi de cœlo prouenit ille vigor.
Fallor, an es Phæbus? Iouis indulgētia quāta eſt,
Lumina tu terræ das, dat Apollo polo.

In eiuſdem ſymbolum FER SIC FERRIS.

Fer ſi vis ferri, tuleris bona multa ferendo:
Ferre nequis? ferris tu neq;, nilq; feres.

IN SYMBOLVM IACOBI MONAVI
Patricij Vratislauien. IPSE FACIET.

QVi ſuum facit ipſe diligenter
Munus, resq; probe adminiſtrat omnes

Haud

Haud externæ opis indigus, meretur
Certe laudem aliquam, poteſtq; dici
In mortalibus haud parum beatus:
At qui munere diligenter ipſe
Suo fungitur, ipſe res & omnes
Solerter facit, in Deo tenacem
(Exemplo atq; tuo MONAVE more)
Seu ſors aſpera ſæuiat, ſereno
Siue arrideat ore, ſpem reponens:
Hic non eſt modo non parum beatus
In mortalibus, ipſe ſed creator
Et rerum arbiter omnium benignus
Hunc diuina ope ſeruat ac tuetur.
Quin imo ipſe facit regitq; cæpta
Eius, & faciet Deus regetque
Donec carcere corporis recluſo
Cœleſtes anima inſeratur inter
Choros, ſola vbi, vera & abſoluta
Eſt & ſemper erit beatitudo.

In idem.

Qui facienda Deo committit cuncta, nihilq;
Ipſe facit, facit huic & Deus ipſe nihil.
Tu vero ipſe facis facienda MONAVE, Deumq;
Cætera facturum ſpeq; fideq; tenes.
Hinc adeo facit ipſe Deus facietq; quod optas:
Perge modo, & ſolers, quod facis, vſq; face.

IN BERNARDVM QVENDAM
perditissimum beluonem.

TEmpora sint BERNARDE nigris tibi nec corymbis,
Et rutila viridis pendeat uua coma.
Dextra gerat titubās thyrsum, regat altera asellū.
Vel Silenus eris, vel deus ipse meri.

In eundem maledicum.

Omnia quod rodis, quod mordes dente canino
Quis te non rabidum dixerit esse canem?
Sed quia nulla facis cum sanguine vulnera, nō es
Re canis, ignauus nomine sed cynicus.

In quendam sartorem.

Qui vilis fueras & iners, & sartor egenus,
Vxoris locuples factus es ære tuæ.
Immodici luxus apponis fercula mensis,
Ex auro longe vina petita bibis.
Veste tegis molli corpus, digitosq; smaragdis,
Quattuor ingenti robore pascis equos.
Cæsaris ad cultos crebro proficisceris hortos,
Sæpeq; thermarum delitiis frueris.
Interea requiescit acus, cum forcipe pannus
Negligitur: quantum res aliena potest.
At si defuerit fugitiua pecunia: quid tunc?
Rursus eris sartor vilis, egenus, iners.

De vxore submersa, & viro.

Quidam maritus coniugem audiens suam
In amne vicino perisse, protinus
Erumpit, aduersisq; currit fluminis
Ripa, si eam queat fluentem cernere:
Cur non secundo currat amnis gurgite
Rogatus, inquit: Viua coniux omnia
Præpostere fecit, reor quod mortua
Faciat idem, nec defluat, sed refluat.

EPITAPHIVM STEPHANO
Cargio, Poetæ eximio.

CArgius hoc seclo Germanos inter & arte
Eximius vates & foret ingenio,
Parcius hausisset si ingrati pocula Bacchi:
O quantum Phœbo Bacchus iniquus obest.
Quod sibi Castalia nomen quæsiuerat vnda,
Perdidit immodico Cargius ecce mero.
Perdidit & vitam, vix ah vix factus ephebus,
I nunc innumeros verte poeta scyphos.

AD HVGONEM BLOTIVM I. V. D.
& Cæsareæ Bibliothecæ Præfectum.

QVid tibi cũ nostris Bloti doctissime nugis?
Non sunt hæc oculis carmina digna tuis.

Ludimus interdum ne nos labor obruat ingens,
Alleuat afflictum Musa iocosa animum.
Porsius Aoniæ quem lactat tenere puellæ
Oblectet cythara te, numerisq; suis.
Ocia sunt illi, sunt tersi carminis artes,
Vsu multiplici præstat, & ingenio.
Si tamen esse aliquid reris mea scripta, dapalem
Non nisi post cœnam largaq; vina lege.

AD DAVIDEM VNGNAD, &c.
Constantinopolim profecturus.

AVspiciis VNGNADE tuis cōscēdo veredū,
Et leuis extremos Thraces ad vsq; volo.
Obuia nil timeo quæcunq; pericula fiant,
Turcarum facio sæuitiamq; nihil.
Qui me iam toties duxit Deus atq; reduxit,
Vt possim quoq; nunc ire, redire, dabit.
Si qua tamē capiti obtingant discrimina nostro,
Aut aliquis casus sit mihi causa necis,
Postera felicem me dicent secula, qui pro
CAESARE, pro patria fortiter occiderim.
Sit precor interea Cæsar, sit patria felix,
Et tibi res cursu prosperiore fluant.

NICOLAO ENGELHARDO
Argentoratensi, amico veteri.

HÆc monumēta sui tibi fidus linqt amicus,
Cumq; his cor ipsū linqt, & ipsā animā.
Absens

Absentem parili tu complectaris amore:
Sic toto stabit tempore nostra fides.

AD BARTHOLOMAEVM PEZENVM V. I. D. & *Cæsareæ Maiestati à secretis, apud Murathem* III. *Turcarum Imp.*

DVm nos liberius iocamur, atque
Curis ex animo parum remotis
Mensas protrahimus mero secundas,
Passu obambulat asper incitato
Et tristi facie Cato: quid ista
Morum BARTHOLOMAEE difficultas
Quæso vult sibi? num quod ipse dona
Iucundissima despicit Lyæi,
Nobis inuidet, & liquore fontis
Vti nos puteique malit omnes?
Heu fontes, puteique, cum Catone
Seuero & rigido valete, dirus
Vos luctus comitatur atque pallor.
Vinum læticiam parit bibenti,
Vinum pectoris anxios dolores
Mentis sollicitudinesque demit.
Vinum perpetuo vigore firmans
Iuuentam, exuit asperas senectæ
Rugas: ipse velut meri creator

HOc etiã accedit cumulo PEXENE malorũ,
Cogar vt infelix frigora sæua pati.
Horrida bruma niues terris dẽſo agmine ſpargit,
Et Notus inſano turbine cuncta quatit.
Ligna focis arſura tamen prohibentur, & artus
Exiguæ pelles, raraꝗ; lana tegit.
Ah ego ſi tantas merui quo crimine pœnas,
Cur illas mecum innoxia Muſa ferat?
Aſpice quàm toto malè corpore frigeat, & quàm
Vix queat in numeros cogere verba ſuos.
Fac, per Calliopes oro venerabile numen
Vt mea crypta tua ſæpe caleſcat ope.

In quendam diuitem inſolentem.

Quòd pendet toga craſsiore lana
Noſtris ex humeris, caretꝗ; fuco
Veſtis intima, ſeruulus miniſtrat
Nec vllus mihi, ſed miniſter ipſe
Sum mihi dominusꝗ;, tu proteruè
Subſannas, malè tu cies cachinnos.
Res turpis quaſi ſit minuſue nota
Egeſtas: age dic tuam quid olim
Cum materna relinqueres verenda,
Aluum, cætera membra quid tegebat?
Infans nudus eras, mihiꝗ; nulla
Parte diſsimilis, parentum iniquo

Si qua pericla tamen fatis vrgentibus instant,
O saltem dominæ parcite quæso meæ,
Innocuum seruate caput, nil blanda meretur
Virgo mali, sæuas dij cohibere manus.
Me me in supplicium rapite, hanc & demite lucẽ,
Mors erit illius nomine grata mihi.
Quid non flamma potest totos diffusa per artus?
Vt vitam dominæ seruem, ego posco necem.

De eadem sedata.

Quem clamabat heri rumor malefidus obisse,
Viuit MVRATHES, & sine fraude viget.
O bona verba, meos citius lenire dolores
Quid queat? in portu nostra puella sedet.
Libera ab insidiis prædonum gaudet, amatque:
O multos viuat rex valeatq; dies.

AD MELCHIOREM BESOLTVM.

IRritus in chartis labor est, prudentia rerum
Ni iungatur, habet pagina sola parum.
Laudo igitur varios populorum noscere mores
Qui diuersorum niteris absque libris.
Indulgesq; libris cura nihilominus acri,
Vna opera faciens cautus vtrumque simul.

Perge ita, nec cepto dum fert desiste iuuenta:
Immortalis honor non aliunde venit.

Ad puerum.

Tres me conuenient boni sodales
Leuenklauius, & Rosa, & Milichus
Vt fallant Borea furente sæuo
Noctis, ante focum, molestioris
Dulci tædia collocutione:
Vini fer puer optimi lagenam,
Adde castaneas, & adde oliuas
Soli munera Cretici recentes.
Seram colloquium quod ad lucernam
Habetur, sapido madere vino
Debet, profuerit siti leuandæ,
Menti non dederit locum grauatæ,
Somnum conciliabit & negatum.
Sed hæc omnia clam domus magistro,
Quæ si resciat, heu mihi misello,
Clamabit violasse dignitatem
Tunc me Cæsaream, daboq; pœnas.

SYMBOLVM IOHANNIS LEVENKLAVII STAR SALDO.

SEruare pectus integrum
Aduersa cum sors intonat,

Ardorem dedit hunc audax in cuncta Lyæus:
Heu mala quàm vino multa subesse solent.
Quid si nunc auidis essemus piscibus escæ?
Ne simus fecit dextera sola Dei.
Ter ratis obiectos hausit iam naufraga fluctus,
Ter color exangui nullus in ore fuit.
Bacche vale, quoties dubiæ me credo carinæ,
Te socio terra vix ago tutus iter.

In Angelicam, parasitum Græcotartarum.

Dissimulatorem vocitas te sæpe, necesse
At nihil est, facies id docet ipsa tua.
Nec facies tantum, sed fraudum nomina mille,
Queis passim incautos illaqueare soles.
Dissimulatorem qui se vocat ipse, vocari
Nonne potest reliquis furcifer & nebulo?

De seditione à Turcis exorta, cum ioco.

Murathem fama est morti occubuisse Tyrannũ,
Sæuit & in tota maximus vrbe metus:
Quisque veretur enim, ne seditione coorta
Aut vitam aut perdat vi superatus opes.
Et meritò, nam quis subitum placare furorem
Indomitæ plebis rege iacente queat?
Pacis amatores superi compescite turbas,
Ne caput in nostrum tristia tanta ruant.

Es rapto locuples, superbus, audax
Factus, fortis & immemor prioris.
Fortuna instabilis manere nescit
Vna in sede, vagatur hac & illac
Incerto pede, miscet, atque versat
Sursum pro libitu omnia ac deorsum.
Quod sors dura mihi negat, sat amplo
Naturæ cumulo fauor rependit.
Fluxas diuitias acumen alti
Vincit ingenij, nouem sororum
Tenax vincit amor, sacræ & Mineruæ.
Turpi mens vicio carens triumphat.
Sim vitæ integer, & quid vsque refert
Ipsi tegmine quo tegantur artus?
Tu argento licet & tegaris auro,
Et gemmatus obambules, salubri
Eges Helleboro tamen, Midasq;
Longis auribus omnibus vocaris.

AD IOHANNEM SALGASTIVM
Silesium, Equitem Hierosolymitanum.

DVm terra & pelago tot lustras regna tot vrbes,
Quis te non credat multa tulisse mala?


Multa

Multa ferenda etiam restant Salgaste, paternos
 Ante lares quàm te fata tenere sinant.
At tu quicquid erit, diuino numine fretus,
 Impiger infracto pectore ferre velis.
Gloria difficiles comitatur magna labores,
 Mollem desidiam præmia nulla manent.

AD IOHANNEM LEVENKLAVIVM.

Non est vulgaris patera hæc, è Principis aula
 Prodiit, en faciunt regia signa fidem.
Illi materiam tribuit Vulcania Lemnos
 Mense suo effossam monte, suaq; die.
Chara fuit semper, quòd multis apta feratur
 Vsibus, & nostro fiat ab orbe procul.
Pestiferas febres domat, expugnatq; venena,
 Et multi præsens est medicina mali.
Hanc tamē esse tuam iubeo, quòd iunctus amore
 Plus quàm fraterno sis Leoclaue mihi.
Mnymosinum vitæ Murathis in vrbe peractæ:
 Sed precor hac nullo tempore vt indigeas.

AD AEOLVM, PRO HENRICO BARONE *Lichtenstainio, Cæsareæ Maiestatis ad Turcarum Imperatorem Nuncio, Constantinopoli Venetias, & inde Viennam profecturo.*



In equitem luxuriosum.

Quas non Sardanapalus experiuit
Mollis delicias, nec ipse summus
Vrbis Romuleæ cupit sacerdos,
Tu simplex eques vsq; concupiscis,
Tu luxu immodico voras bibisq;
Et fastu sine nil agis superbo.
Summum si fuerit bonum voluptas,
Te felicius ecquid esse possit?

In eundem.

Cares iudicio, integraq; mente,
Abundas famulis pecuniaq;,
Si sit alterutro mihi carendum,
Argento & famulis carere malim.

Non semper felix temeritas.

Audaci nimis Icarus volatu
Dum contra monitus patris fideles
Plagas carpit iter per altiores,
Sublimemq; petit Tonantis aulam.
Infelix ruit æquor in profundum
Lapsu præcipiti, exuitq; vitam
Pennis deficientibus misellam,
Nequicquam genitore condolente.
Currum ascenderat haud probante Phæbo

Igno-

PARCE FIDENDVM AD PHILIP. *Hanniwald ab Eckersdorff.*

QVadrupedem dum laudat herus, dum mulcet, ab ipso
Quadrupede incautus sternitur atq; perit.
Sensibus hunc caruisse puta: quis sanus atroci
Cum soleant homines fallere, fidat equo?

IN SCABIOSVM HELVONEM.

MIraris corpus scabies cur putida vexet,
Assiduoq; voras, assiduoq; bibis.
Nil mirum hoc, frondes si syluis, fontibus vndas
Importes: scabiem sobria vita fugat.

AD AEOLVM, IN OBITV HENRICI *Baronis Lichtenstainij, ad Callipolim Propontidis vrbem.*

ÆOle sic ne tibi commissum ducis ad oras
HENRICVM optatas, restituisq; suis?
Sic nostræ valuere preces? sic flectere mentem
Maiestas potuit Cæsaris alma tuam?
Non sat erat fratrem letho cessisse rapaci,
Et vitam in Scythico deposuisse solo?

Si te nil horum rex immitißime mouit,
  Mouisset virtus nobilitasq; viri.
Nequicquā ah querimur: non est ventoq; mariq;
  Vlla fides, fallunt cum omnia tuta putas.
At quia naturæ soluenda est pensio cunctis,
  Eiicitur nullo mors nec auara loco,
Nil adeó refert quibus ossa terantur in oris,
  Saltem in siderea gaudeat arce anima:

AD BARTHOLOMAEVM PEZENVM.
Constantinopoli discessurus, in laudem Cæsareæ Maiestatis.

COgnouit facili CAESAR mitißimus aure
  Thracia cur rebus non sit amica meis.
Quem petij reditum sacram concesit ad aulam,
  Et tantæ sumptus iusit habere viæ.
Cæsaris ô quanta est diui Clementia, vitam
  Ac libertatem reddidit ecce mihi.
Viuere apud Thraces verißima mortis imago
  Captiuus (quamuis liber & hospes) eris.
Mensibus effluxit iam totis integer annus
  Quód Byzantina tristis in vrbe moror.
unc abeo gaudens, vtinam PEZENE liceret
  Ire tibi mecum, mollius esset iter.



CEssate tandem non secundis flatibus
Percurrere mare, & æquor inuium diu
Pacate venti mitiores, sternite,
Et otiosis transitum date ratibus
Desideratum, tempus ecce postulat
Ipsum quietioris auræ spiritum.
Iam Phæbus aureis quadrigis altius
Progressus, ignes validiores colligit,
Metamq; noctis & diei parem facit.
His Aeole nisi commoueris omnium
Rex arbiterq; summe ventorum, aspice
(Nam tanta non tibi est puto ferocia)
Necessitatem, Cæsaris qua Nuntius
Tenetur: ille longiori debilis
Morbo, regressum ad patrios parat lares,
Iterq; terra facere cum non sit potis,
Decreuit ire vector altum per mare,
Iam iamq; nauem quo potest scandet pede.
Compacta Siculis illa trabibus est quidem,
Minasq; spernit imminentes fluctuum,
Nauclerus arte nauigandi nemini
Paucisue cedit, quotquot insanas secant
Vndas carina, numinis tantum tui
Opus benignitate fuerit atq; ope.
Te non fauente vana nauigatio est,
Conatus omnis irritus, paret tibi

Occa-

Oceanus ingens cum natantibus feris.
Vulturnus ore vela compleat leui.
Impone reliquis interim silentium.
O quàm potentem demereberis tibi
Terræ Imperatorem, piumq́; rex pius
Hunc si reduces cum familia prosperè
Per tot maris spacia ad colonos Italos.

AMOR AB APE VVLNERATVS
ex rythmis Italicis.

VAllis erat colles inter diffusa supinos,
Et florum variis conspicienda comis,
Fortè per hanc vacuus curis errabat & armis,
Ac procul à dulci matris Amor gremio.
Vngue rosam tenero decerpit pronus odoram,
Et nullas fraudes, nulla pericla timet,
Ecce latens foliis sub densis improba dextram
Molliculam puero cuspide pungit apis.
Vulneris impatiens puer, insuetiq́; doloris
Cum gemitu & lacrymis tecta parentis adit.
Blanda parens causam fletus rogat, ille roganti
Sæuitiam exponit, damnat, & horret apis.
Conqueritur volucrem tantillo corpore, cæcas
Tanta per insidias vulnera posse dare.
Tū Venus: ah stimulus si adeò te tantulus angit,
Quid faciant aliis spicula nate tua?

PARCE

Integritate pares habuit, candoreq; mentis,
Et pietate pares: nemo negare potest.
Rara licet pietas, sit rarus candor in Aula,
Integritas animi nec bene nota satis.
Corporis egregij structuram nouimus, atra
Nunc deformatam, proh dolor, à Lachesi.
Parcere Parca ferox nescit, rapit omnia, nigros
In cineresq; diu quæ valuére trahit.
In iusto atq; bono melius quòd habetur in æuum
Omne manet, bonitas præmia certa capit.
Sic Bonus hic tam re quàm nomine, gaudia vitæ
Cœlestis precium nunc bonitatis habet.

Epitaphium eidem.

Ingenio felix, celebris virtute, decoros
Promerui titulos, præmia magna tuli.
Principib⁹ charus, populo haud inuisus, ab omni
Lite fui liber, tutus ab insidiis.
Decurso vitæ stadio, quæ vilia terræ
Restitui, fuerant quæ preciosa, Deo.

Inferiæ eidem.

Quod licuit decuitq; lubens meritoq; peregi
Optime Mecænas, patris amate loco.
Deuoto colui te animo dum firmior esses,
Officium & facerent integra membra suum.

At postq; fatis properantibus, hei mihi, morbus
Te ferus inuadit, linguaq; pressa silet.
Nunquam te liqui, vigilans tibi semper adhæsi
Bis denas noctes, proh, totidemq; dies.
Ipse tua his manibus iam deficientia clausi
Lumina, & extremum spiritum ab ore tuli.
Nunc tumulũ lacrimis spargo, gemitusq; peren-
Te propter tristi pectore fur do miser. (nes
Nil aliud restat: recubent tua molliter ossa,
Et bene sub gelido marmore sit cineri.
Ad superas donec rediuiuo corpore quondam
Euadas auras, cœlicolumq; choros.
Nullæ vbi sunt curæ, sed gaudia, sed bona vita,
Hæc tibi cum fueris conuenit ipse Bonus.

AD NICOLAVM REICHELIVM, *Cæsareæ Maiestati in Camera aulica ab epistolis.*

ET te sors malefida, NICOLAE,
Et quorundam hominum furor malignus
Vexant, impediuntq;, ne obtinere
Virtute & meritis tuis tot annos
Posis præmia digna: sed profecto
Prudenter facis, interim quòd ipse
Constanti meliora mente speres.

Versa-

Versatur rota sortis hac & illac,
Ima subleuat, altiora sternit.
Et mortalia corda mitigantur,
Cessat ira hominum, furor remittit.
Tempus mox veniet Deo fauente,
Quod desiderium tuum replebit,
Et dignam meritis tuis rependet
Mercedem, modò fide, NICOLAE.

IN IVLIVM REDIVIVVM, *Comædiam elegantißimam Nicodemi Frischlini.*

INclyta quid patriis Germania poßit in armis,
Quantumque præstet artium scientia,
Sat res ipsa docet, fama volitante per orbem:
Nam cui parum sit nota virtus Teutonum.
Hoc agit insigni studio FRISCHLINVS in isto
Perelegant (Iupiter) poëmate.
Quàm sit mira docet rerum variatio: lingua
Romana nescit ecce gens loqui sua.
Martius ille animus, dextra illa inuicta virorum
Effœminato desierunt otio.
Iulius & Cicero rediuiui secula iure
Mirantur ista, gaudet ast Germania,

AD IOHANNEM ZIGELIVM
Caes. Maiest. à Secretis in Camera aulica.

IAm me Praga satis diu ociosum
Tenet, nec mihi consulunt patroni
Vt hic amplius immorer, fateri
Imò, candide, si licet, ZIGELI
Id quod sentio, Caesaris nec aula,
Vrbs nec ipsa magis potest placere,
Ex quo me spoliauit ah fideli
Mecaenate Bonoqꝫ mors: virentes
Non colles, sinuosa non fluenta
Me oblectant velut ante, cuncta sordent.
Hinc desidero mente tota & opto
Quamprimum Austriacam redire ad vrbem:
Illic sunt veteres mihi sodales,
Amici numero boni carentes,
Fautores quoqꝫ sunt benigniores.
Qui me non secus ac suos ocellos
Obseruant, & amant, fouent, iuuantqꝫ.
Ergo quarta diem nouum reducet
Cùm lux, ingrediar viam cupitam,
(Ni me detineat Dei potestas)
Absenti interea velis fauere.
Et si quid dabitur mea quod ex re
Censebis fore, quaeso mi ZIGELI

Vt mox significes, parem rependam
Maioremúe operam tibi tuisque.

AD ANSELMVM à VELS, &c.

LIbrum ANSHELME tuum tibi remitto.
Est sanè bonus, elegans, peritus,
Sicut tu bonus es libri patronus:
Illum quò magis ac magis legebam,
Eo mî magis ac magis placebat.
At quò te video magis magisque,
Eò te veneror magis magisque,
Admirorque tuam eruditionem
Iunctam cum probitate, cum lepôre.
Dij quam tu similis libro es, liberque
Quam tibi est similis: meretur ille
Laudes perpetuas, decus mereris
Tu perenne, manebit ille in æuum,
Non vllis moriere tu diebus.

Tumulus cuidam magni nominis.

Sumptibus insanis dûm sacra iugalia natæ
Et regum, genitor, cætera more parat,
Ecce repentinus, de naribus impete magno
Somnum captantis manat in ora cruor.

Par labor vtrique est, non dispar gloria vtrique,
Vnus vt esse queant Mars & Apollo deus.
Adde quod hic pariter pharetrā celeresq; sagittas
Gestet, pennigeris gaudeat ille viris.
Hæc animo versans, vnum Phœbo atq; Gradiuo
STOZINGVS voluit prouidus esse locum.

AD ANTONIVM TRAVTSONIVM *Liberum Baronem & Archiducis Maximiliani familiarem cubiculi.*

EST aliquid longa serie numerare parentum
Stemmata, quę valeat nulla abolere dies.
Est aliquid multis dare propria iura colonis,
Et nummis loculos semper habere graues.
Est aliquid toto formosum corpore Adonin
Aequare, & roseis Endymiona genis.
At latè studiis virtutum extendere famam,
Et meritis laudem quærere maius opus.
Maior honos animū pulchras duxisse per artes,
Pollere ingenio, verbaq; culta loqui.
Nullum mente dolum meditari, temnere fastum
Omnibus in rebus rectum adhibere modum.
Et miramur adhuc, q̄ ab omnibus vnus ameris
ANTONI, Princeps quòd faueatq; tibi?

AD CHRISTOPHORVM SCHALLENbergerum Biberſtainium, Sereniſsimi Archiducis Matthiæ, &c. Dapiferum.

O fatuos hominum mores, ô tempora ſtulta,
Gloria Pieridum ſicne iacere poteſt?
Olim etiam reges, domini terræq; mariſq;
Verſabant cytharam mitis Apollo tuam.
Scilicet excuſsis turbato è pectore curis
Carmina curarum dulce leuamen erant.
Nunc etiam nomen Muſarum ſordet, honore
Priuatur, ſi quis numina docta colit.
Pocula Caſtalio Bacchi præferre liquori,
Crimina carminibus turba prophana ſolet.
Tu tamen ô generis ſuccreſcens ſplendor auiti
CHRISTOPHORE ad ſacras pnus es Aonides.
MATTHIAE quamuis comiteris ſedulus Aulam,
Dulce tamen lepido concinis ore melos.
Egregio tractas conamine Pallados artes,
Virtutem cunctis anteferens opibus.
Hoc eſt, hoc animi generoſi & pectoris alti,
Hoc eſt antiquæ nobilitatis opus.
Perge ita, nec vani cures ludibria vulgi:
Grande poëtarum carmina numen habent.

AD

AD CASPARVM COPISIVM I. C. *vt vxorem ducat.*

QVid perdis malè ſtrenuam iuuentam
Copiſi in vacuô thoro cubando?
Cur non connubio tibi iugali
Iungis floridulam genis & annis,
Aetas dum viret, & ſinit, puellam,
Cum qua ludere tutus & iocari
Poſsis, credere cui queas ſalutem?
Quid prodeſt facies tibi decora,
Fuluo quid ſimilis capillus auro?
Quid mel purpureo fluens ab ore,
Quid duro tribuiſſe tempus omne
Foro, ni teneram domi maritam
Amplectaris, & oſculeris, olim
Quæ parem ſobolem tibi ſibiq;
Dulces luminis egerat ſub auras?
An Myrrhæ quia filium venuſto
Aequas corpore forſitan ſuperbis?
Nec vlla eſt thalamo tuo puella
Copiſi ſatis apta? dij benigni
Mentem dent tibi quæſo ſaniorem.
Narciſſus puer elegans amores
Durus ſpernere virginum ſolebat:
Quid Rhamnuſia? punit arrogantem

Stridet fluctibus, & rati minatur
Victæ naufragium? quis ô quis error
Quæ dementia maior est in orbe,
Quàm ius imperiumq; propter auri
Massam vendere turpiter coactam,
Et submittere prona fœminino
Colla seruitio, iugoq; tristi?
Aurum sæpius auferunt latrones,
Et crebrò fera flamma perdit aurum,
Flumen gurgite mergit hoc profundo,
Modis mille aliis periclitatur
Aurum, deserit & suum patronum,
Atqui duc age coniugem, refertas
Quæ totas habeat pecunia arcas,
Cui sint aurea cuncta, quid futurum?
Midas alter eris, ciens cachinnos
Longis auriculis iocosq; vulgo.
Quare si sapis, vt sapis, Copisi,
Cui dicas (mihi sola tu puellis
Multis præ reliquis places, pudicos
Ob mores, pietatis obq; sanctum
Amorem) elige, diuitemq; abundè
Dotatamq; satis puta iugalem,
Quæ morata subit thorum marita.

Ad eundem.

Tollis

Tollis lintea per iocum Copisi
Multo picta labore, & arte multa
Incautis tacita manu puellis.
Hoc te bellum hominem negant decere
Quotquot sunt quibus illa surpuisti.
Effictum esse putas? loquor Copisi
Ipsam rem, mihi mente pertinaci
Ni credis veteri tuo sodali,
Coniux optima Cunij poetæ
Nostri testis erit: quid hæc? & illi
Nuper linteolum domi inuolasti,
Quod sic diligit vt suos ocellos,
Non propter nimiam æstimationem,
Sed quòd mnemosynum noui mariti est.
Nam cum sponsa tenella, amabilisq;
In sponsi thalamum veniret olim,
Et signum fuit impotentis ignis,
Et vinclum fidei iugalis arctum.
Quare quæ tacita manu Copisi
Passim lintea negligentiorum
Fecisti tua, virgines precantur
Vt reddas: nisi fit, miser frequentes
Nunquam duxeris, vt prius, choreas.

EPITAPHIVM PAVLO VVEIDnero *Medico Cæsareo.*

Ergo

Ergo etiã medicos mors impia surripis, artē
Tamq; salutiferam tu nihil esse facis?
Doctior, & longo nullus præstantior vsu
VVEIDNERO fuit, & nullus amabilior.
Quot nõ ille homines nigris seruauit ab vmbris?
Eripuit manibus mors quot auara tuis?
Inuidiæ forsan stimulis agitata negasti
Huic lucem, vetuit qui tot obire diem?
Fallor, morbus ei fuit & mors, ipsa senectus,
Nobilius vitam claudere non potuit.

LIBRI BLOTIANI IN CVNIS
ad ipsum Blotium.

Cvr ædium super tuarum ianuam
Emblematis loco insolens spectaculum
Sed haud ineptum inuentione (scilicet
Libros in incunabulis) depingier
Bloti erudite feceris, nasutuli
Conantur explicare causam plurimi,
Diuersa diuersi loquuntur: ast ego
Sic iudico, & fors haud male, illo emblemate
Docere velle te, libros impendio
Quod ames, & instar liberorum, queis cares,
Eos in incunabulis foueas libens,
Librisq; des magis operam quàm liberis,

locum

Iocus ad eundem.

Ex te quòd nullam ſobolem tua ſuſcipit vxor,
Errat deſidiæ qui putat eſſe tuæ:
Quin ego te nimium ſolertem iudico Blori,
Alternis vicibus deſtruis atq; ſtruis.

AD ADAMVM ALTENSTAIG VRBI VIEN. *à ſecretis, in quendam aulicum libidinoſum.*

QVæ mens tã demens, q̃ cęca libido, qs ardor
Deſperatus anum te temerare iubent,
Annos quæ numerat bis ſexaginta decemq;,
QuæConſtantini mænia capta refert?
Sed cui non vlli dentes numerantur in ore,
Et grauior merda ſpiritus inde ruit.
Cui tres aut quatuor ſtant caluo in vertice ſetæ,
At pilus in naſo denſus & aure riget.
Pulicis occiſi cui pollex ſanguine flauet,
At niger infecit cætera membra color.
Cui non ſunt mammæ, ſed ſunt palearia, ſuccus
Et tandem in toto corpore nullus adeſt.
Os, culumq;, duæ cum ſint res, cui putat eſſe
Olfaciens vnam? dicere plura pudet.
Hanc tamẽ hanc gremio, teneriſq; fouere lacertis
Auſus es, huic labris baſia ferre tuis?
O extingue faces Venus, arcũ ô frange Cupido,
In gelida tantus ſi latet ignis anu,

At quid supplicij meruit tam fœda libido?
Nullo vt tam fœdus tempore cesset amor.

In aulicum sordidum.

Dicis amicitiæ te nos inuisere causa,
Lauta bonas quoties mensa ministrat aues:
Credo: facis tanti nam turdũ parcus inemptum
Vt tibi amicitiæ causa sit ille nouæ.

AD IOHANNEM MICHAELEM Brutum, Historicum Cæsareum.

SI tristi studio sacræ Mineruæ,
Et rebus grauioribus remotis,
(Nam raro tibi diffluit solutum
Curis BRVTE laboribusq́ue tempus)
Te tractare iuuat leues Camœnas,
En versus tibi habe meos legendos
Vel lusus potius remissiores,
Sed non vt rigidum genus virorum,
Risum quod procul & iocos facessit.
Nolunt versiculi mei Catones
Duros, vel Curios graues, Numasue
Sanctos, sed cupiunt videre tales
Qualis tu, sine felle, & absque fuco,
Facetos, hilaresq́ue, candidosq́ue.

Arconatus enim poëta non est,
Vt sunt Virgilius, Catullus, vt sunt
Cum Nasone Tibullus atque Flaccus,
Quamuis hi quoque sat iocosa scriptis
Aspersere suis, quibus frequenter
Lectori excutiant leues cachinnos.
Ni simul doceant simulque versus
Delectent, labor omnis est inanis,
Est & vanus Apollo, vana Musa.
Sat hoc iudicium tibi relinquo
De nostris numeris, tua fideli
Censura moriantur aut superstint.
Et non immeritò, mori perinde
Tecum & viuere sum paratus ipse.

TVMVLVS IVLIO COMITI SALMIO, *illustris herois* IVLII, *&c. filiolo.*

DOrmit in hoc tumulo Veneris pulcherrima proles,
Perpetuum luge quisquis amore cales.
Nam tua nunc circum glacies præcordia crescet,
Flamma nec in toto corpore dulcis erit.
Fallor, obire nequit diuorum cura Cupido,
In cœlos terra posthabita rediit.

Tu

Tu tamē hunc venerare locū, ceu numine plenū,
Sparge coloratis lilia mista rosis.
Si Veneris puerum quando contingat obire,
Non alibi cineres conderet ille suos.

AD HIERONYMVM BECK à Leopolsdorff.

Hæ chartæ veniunt ab vltima ora
Europæ, mare Thraciam coactum
Quà lætam ferit, & sinu recuruo
Naues suscipit omnium locorum,
Gentis prima elementa, syllabasq;
Et vocabula continet legenda.
Quæ confusio cerne litterarum?
Quàm sunt multiplices notæ? columbas
Tali scribere passeresq; iures
Stylo, cortis auesue graculosue.
Sed mirum nihil hoc: rudis sit ipsa
Cum gens, barbara sit, parumq; tersa,
Exculta caret eruditione,

AD FRANCISCVM ARCONATVM fratrem, Constantinopolim proficiscentem.

Otia contemnens exemplo mollia nostro
Tu FRANCISCE etiā multa videre paras,
Multa pati, sicut iam multa es passus in oris
Pannoniis, miles Cæsaris haud minimus.

CVM SERENISS. ARCHIDD. AVSTRIAE *Ernestus, Matthias & Maximilianus, &c. fratres, vnà cibum sumerent.*

TRes vna Ernestus, Matthias, Maxmilianus,
Cum mensa proles Cæsaris alta sedent,
Multa animo meditor, tandem me terna videre
(Qualia sunt Charitum) numina blanda reor.
Tantus in ore decor, tanta est in fronte venustas,
Tanta pios animos gratia paxq; ligat.
Contingāt tribus his triplicis p̄cor orbis habenę,
Ne valeam, si quid sanctius esse queat.

Cum iidem certamina equestria publicè celebrarent.

Aetheris obscuri per nubila densa ruebant
Commistæ pluuiis nocte dieq; niues.
At rediit subito grata vice firmior aura,
Luxq; sequens melior luce priore fuit.
Scilicet inter se coeunt certamine pulchro
Cæsarei fratres dulce sonante tuba,
Gaudia sunt Aulæ triplici communia: Diuis
Austriacos curæ quis neget esse Duces?

Cum altera die certamina finirent.

Vix bene desierant certamina splendida cœlo
Placato, & tulerat præmia quisq; sua.
Incubat ecce iterum facies tristissima rebus,
Et ruit hac illac copia magna niuis.

Qui sic? Principibus nostris mens vna Iouiq; est,
Perq; vices, terras, tempora & astra regunt.

In quendam aulicum.

Vnus in Heroum numero cataphractus arena
In media, Pollux ceu violentus, ades.
Nimirum culicis tibi cum sint crura, cicadæ
Sit venter, vento ne rapiare caues.

AD RVPERTVM STOZINGIVM, &c.
de papyro Turcica, & ipsis Turcis.

Istam conficiunt RVPERTE chartam
Turcæ, non leuis est labor, colores
Si spectes varios & elegantes.
Facti vere nouo solent nitere
Sic horti & teneros ferire ocellos,
Cum passim violæ rosæq; crescunt.
Vsus non adeò videtur ingens:
Nam cui seruiat hæc rei papyrus?
Sic gens ipsa (loquor RVPERTE verum)
Præ se fert speciem valoris alti,
Cum vilissima sit, maloq; cunctas
Res dolo aggrediatur, & furore
Magis quàm ratione consequatur.

AD CHRISTOPHORVM
Schallenbergerum.

Cum

CVm tecũ numeris certat resonabilis Eccho,
Liriope natus crederis esse mihi.
Tam bona sed recitas quum carmina, crederis esse
(Parcite Pierides) alter Apollo mihi.
Sis neuter: tamen hoc concede, in Principis aula
Non est qui versu te superare queat.

IN OBITV IOHANNIS ARCONATI *fratris, ad Sinanem Bassam Budensem.*

ECquid sæuitia pro tanta dire Tyranne (cẽt.
Nunc tibi habes: tandẽ vincula rupta ia-
Libertas fratri rediit dulcissima gratis,
Ereptus duplici est hac ratione iugo,
Namq; satisfecit naturæ legibus, & quam
Poscebas summam reddidit ecce tibi.
Hac fruere ô crudelis: agit nunc ille perennem
Ante Deum vitam, tutus & absq; malo.
Te Rhadamantus atrox rapiet sub tartara, pęnis
Damnatum æternis, vt scelerate meres.

IN STINCKHARDVM.

Turpis ab extremo q̃ olet tibi pectore flat9,
Nõ secus ac retrò quæ grauis aura venit,
Tu vitium stomachi dicis Stinckharde maligni,
Credimus, est vitium grande malumq; nimis.

Hoc facilè vt careas, moderatius vtere vino,
Indomitamq; doma luxuriose gulam.

In eundem.

Nescio cui vestem te dicat fama puellæ
Noctis ob officium dulce dedisse nouam.
Si te non ridet, si verum narrat, amare
Agnam crediderim tunc ego posse lupum.
Sordibus æstiuis non sic olet aucta cloaca,
Non sic in madida putre cadauer humo,
Aura tuo spirans vt pectore fætet ab imo,
Inficiunt nares marcida verba bonas.
At similis simili quia gaudet, credere famæ
Cogor, habet quiuis putida scorta locus.

AD IOHANNEM FRIDERICVM
Serentinium, Archiduci Maximiliano à poculis.

QVi nuper solitus fuerã dum culta teneret
Austria me, suaues scribere versiculos,
Vis dicam, cur nunc cessem taceatq; Camæna?
Improbus hic promus suauia vina negat.
Illa quidem potant alij, pro carmine suaui
Sed fædam saniem ventre tumente vomunt.
Heu fatuos secli mores: sic semper iniquè
Præfertur sacro turba prophana choro.

AD CAROLVM SERENTINIVM *Archiducis Maximiliani præfectum seu magistrum culinæ, & cellæ vinariæ.*

SErentine dapes tibi sunt & fercula curæ
  Prima quibus domini mensa nitere solet.
Suauia tu pinguis tractas pulmenta culinæ,
  Et facis vt constent tempore cuncta suo.
Explorata tenes diuersi vina saporis,
  Apponisq; gulæ qualiacunque placent.
O quoties dulci captus conuiua Lyæo
  Siccat inæquales te monitore scyphos.
Hinc omnis dapifer meritũ tibi præstat honorẽ,
  Hinc pocillator te reuerenter habet.
Oenophori dicto citius mandata capessunt,
  Et peragunt mira sedulitate coci.
Promus ab officio nusquam condusq; recedunt,
  Semper adest lauto copia iussa penu.
Quis tamẽ huic studio socias putet ire Camęnas,
  Quis te tam culti pectoris esse putet?
Gallus, Iber, Italus lingua variante videris,
  Et loqueris docto verba Latina modo.
Vnũm restat adhuc patre Baccho clarior vt sis,
  Vt fias nitidi lucida stella poli.
Pallentis potu austero miserere poëtæ,
  Pannonicoq; illi tinge labella mero.

AD RVPERTVM STOZINGIVM.

IAm conata diu est aliquid mea pangere Musa,
Aspectu dignum Principis, atq; tuo:
Omnia debet enim, & semper debebit vtriq;,
Ingenium sed hebet, nec velut ante viget,
Quinetiam sensim totius corporis artus
Languorem stomacho deficiente trahunt.
Huic RVPERTE potes morbo tu ferre medelam,
Si facis, vt vinum quod bibis ipse bibam.

Ad eundem.

Quod bibis ipse bibo multū gaudente Camæna,
Et laudante pias, fide patrone, manus.
Parte aliqua rediit neglectæ mentis acumen,
Et vigor in toto corpore maior adest.
Sed licet ingenio Mantoum vincere vatem
Et mihi Nestoreos detur adire dies.
Non ego quas meruit Virtus tua dicere laudes,
Nec possem numeris æquiparare meis.
Hoc præstabo: colam magni te numinis instar,
Iureq;, nam magno numine digna facis.

AD ROSINAM, VIRGINEM *lectißimam.*

VNde tibi flores hyberno tempore nati?
An quia flos ipsa es, flos tibi semp. adest?

Vera loquor, ſeu vernat humus, ſeu frigore tor-
Tu ſemper flores quos paris ipſa geris. (pet.

Eidem defunctæ.

Me longé violis ſuauiorem
Vernis atque roſis venuſtiorem
Parcarum nimis Atropos ſeuera
Cum nondum tria luſtra cóntigiſſem
Huic triſti tumulo dedit ROSINAM.
Quis fatale neget mihi fuiſſe
Nomen? nam roſa ſicut eſt caduca,
Et euanidus ipſe ſicut eſt ros.
Huius tempora ſic meæ fuerunt
(Heu ſortem) breuia atque fluxa vitæ.

Aliter.

Seu roſa, ſeu mihi ros nomen dedit, omine nomẽ
Non caruit, fato dicta ROSINA fui.
Tempus ad exiguum nam ſicut durat vterque,
Sic numerat paucos, heu, mea vita dies.
Flere meum noli caſum, nec ſparge viator
Quiſquis ades riguis lacrymulis tumulum.
Ne ſi forte roſa hinc ſurgam, peream que ſubinde,
Afficiare nouatu quoque triſtitia.

AVGVSTINO HVSAERO MEDICO
Mergentamij.

CEssarunt capitis graues dolores
Qui multos male me dies habebant,
I magnas age gratias Thalia
Husæro, medico meo fideli,
Tanta dexteritate quòd mihi me
Demum restituit, tibi, tuoq;
Iucundo & lepido choro, coactus
Quem nuper fueram misellus, instar
Desertoris, ob horridos cerebri
Affectus fugere: at redire postquam
Cepit pristina sanitas, virentes
Per vestros iuuat hortulos vagari,
Et decerpere flosculos olentes,
Ac herbas vario nitore pictas.
Vestros mane iuuat, comis rubente
Aurora croceis, perambulare
Montes, vespere frigida sub vmbra
Vestros visere murmurantis vndæ
Fontes, atq; iterare dulce carmen.
Nobis otia fecit hæc cupita
Husærus medicus meus fidelis,
Huic magnas age gratias Thalia,
Huic nunquam bene desinas precari,
Quum mihi bene fecerit tibique.

AD CORNELIVM CAVTERVM.

AD patrios vadis p multa pericula Belgas,
Quàm timeo capiti dulcis amice tuo.

Libera ab insidiis non est via, plurima passim
Corpora sternuntur, diripiuntur opes.
At tu fide Deo, melior custodia iusto
Nulla viatori quàm Deus esse potest.
Non iter hoc temere, sed iussu Principis almi
Suscipis, huic contradicere grande'nefas.
O quibus excipient reducẽ te plausibus omnes,
Quàm te expectabunt pocula plena mero.
Ipse ego (namq; tibi sapiunt) pinguedine crassos
Apponam turdos, & bona vina dabo.
Hoc est conueniens non ficti munus amici,
Sit malè ei qui nil scit nisi verba dare.

AD SIGISMVNDVM STOZINGIVM,
Archid. Maximiliani cubiculi familiarem.

TE quoque secreti tangit tutela cubilis,
Stozingæ decus ô non mediocre domus.
Tu licet Aoniis raro spacieris in hortis,
Nec tibi sint Clarij cognita templa dei.
Vnde tamen lauderis habes: non Iuppiter vni
Cuncta dat, huic cingunt laurea serta comam,
Illi gramineam virtus quernamuè coronam
Bellica, militiæ præmia grata legit.
Texit odoratas alij Venus improba myrtos,
Pampineas frondes qui bene potat habet.
Diuersis diuersa dedit natura: lacertis
Tu validis, toto corpore tuq; potens.

Tu præſtans animo, præſtans ingentibus auſis,
Hoſtis in aduerſi fortiter arma ruis.
Hactenus inuictus viciſti ſemper, at ô ſic
Ipſum te vincas, Hercule maior eris.

IN STINCKHARDVM.

ALba breuiſque tibi, veteri de lege, lacerna
Nupererat, toto & corpore cultus iners.
Syrmate nũc Stinckharde tumes lõgoque nigroque
Et præter morem totus vbique nites.
Cur ita? maiores reditus, maioraque faſtu
Hoc tali ſperas nomina? bellus homo es.
Falleris ah multum, non hæc via ducit honores
Ad magnos, ſordent tuque tuuſque decor.
Fallor ego: vt placeas ſcorto ſcelerate nefando,
Non præſente viro comptior eſſe ſtudes.
Quid ſi vtrumque ſimul ſit verum? credo locutos
Nunquam Cyrræos vera magis tripodes.
Ambitio totum te poſsidet atque libido,
Mentula, non mens eſt improbe ſana tibi.

AD LEONARDVM KIRCHMAIERVM V.I.D. & *Archiducis* MAXIMILIANI *Conſil. Mergenthamij.*

ET te, quantumuis iuris doctiſsimus atque
Interpres legum ſis LEONARDE grauis,
Oble-

Oblectant cytharæ Phœbeæ dulcia fila,
Te faciles numeri plectraq; blanda iuuant.
Imò etiam carmen, diuino percitus æstro
Ipse canis, sacras excolis ipse deas.
Hinc geminus tibi surgit honor, duplicemq; coronam
Virtutis precium nobilioris habes.
Tertia in Elysiis dabitur post funera campis,
Hanc probitas nectit cum pietate tibi.
Rara est hæc hominis perfectio, iure beatus
Ante obitum dici tu LEONARDE potes.

AD SOLEM IN GRATIAM SERENIS. *Archiducis Maximiliani.*

Quadraginta dies (dies vocari
Si possunt) sine sole transierunt,
Dum vallem Mariæ tenemus istam.
Tam quid continuæ volunt tenebræ?
Quæ discrimina, quod malum minantur?
Corpus debilitatur ociosum,
Aegra mens hebet interim, voluptas,
Aeternis queat esse quæ tenebris?
Noctes perpetuas dies supremus
Nobis adferet: ô venuste mundi
Sol totius ocelle, iam coruscam
Permittas faciem videre tandem,
Humentes nebulas, nigrasq; nubes
Et quicquid radios tuos molestat

Totis æthere viribus repelle.
Ni te sollicitì preces poëtæ
Mouent, promereatur hunc poëtæ
Princeps & Dominus pius fauorem.
Nunquid fors metuis tuos ad ortus
Ne ille prodeat & tui nitorem
Vultus diminuat sua serena
Fronte? ne dubita benignus Heros
Est mitisq;, tibi p[illegible]um relinquet,
Solas irradiabit ipse terras.

AD RVPERTVM STOZINGIVM, &c.

Querela aulica.

Conticuit mea Musa diu, nec visa Ruperte
 Est tibi, quid faciat? desidiosa latet,
Ecquid enim strepitus inter tot prodeat? inter
 Tot curas, agiles efferat illa pedes?
Cogor ad ingenia, vnus ego, bis quinq; referre
 Ingenium, inuersa sed ratione, meum.
Cogor in has illas, ceu Protheus, ire figuras,
 Et cogor mores induere vsq; nouos.
Sisyphiam experior sortem, labor vnus & illi
 Et mihi, nulla datur nocte dieq; quies.
Effice (nam potis es) per numina sacra Mineruæ:
 Ac per Apollineam, cernuus oro, lyram:
Vt me mox tantis curarum fluctibus alma
 Diuini pietas Principis eripiat.

Non

Non ego magna peto, ſed noſtro nomine digna
  Vtcunque, & generis conditione mei.
Heu miſerum eſt, poſt tot terraq; mariq; labores
  Perpeſſos, pueri iurgia ferre mali.
Cætera tu noſti: tibi nam prudentia tanta eſt,
  Quid ſit opus facto vt quã loquar, ante ſcias.

Vitæ humanæ variatio, ex Italico.

Quorſum tot vigiles curæ, tetriciq; labores,
  Cum nihil hic mundus ſit niſi ludus iners?
Hic miſerè vitam quòd agat, feliciter ille,
  Ne virtutis opus deſidiæue putes.
Fatorum ſic vult indeclinabilis ordo,
  Quis legem cœlo ſyderibuſq; ferat?
Interdum duo ligna ſolo naſcuntur in vno,
  Sunt ea diuerſis vſibus apta tamen.
Ex hoc Mercurius, vel quouis nomine diuus
  Fingitur, & multo ſemper honore viget.
Ex illo turpes furcæq; cruceſq; dolantur,
  Aut paſsim calido præda fit ampla foco.
Scilicet humanæ ſic res variantur in orbe,
  Fataleſq; vices nemo inhibere poteſt.
Omnibus eſt vitæ ſeries data certa, moduſq;,
  Hinc adeò rerum fit ſpecioſa parens.
Ingerit alter humo ſemen, ſed percipit alter
  Fruges, & fructum ſæpius alter habet.

Hæc ita, mors donec cuncta æquans falce recurua
Ad nihilum redigat quod fuit ante nihil.

AD GEORGIVM CALAMINVM
Silesium, Poëtam, in transitu Lyncij.

Amicos virtus et doctrina commendat.

INter pocula mitiora cœnæ
Hesternæ nimis eleganter actæ
Fraterno quòd amore sim libenter
Iungi me tibi, te mihiq; passus,
Ne credas Calamine perpolite
Id factum modò forsitan Lyæo
Impulsore, nihil Lyæus istam
Ad rem, qui fatuo suo liquore
Vulgi copulat ebrij profanas
Mentes atq; manus, fideq; nectit
Infida, ancipiti, & caduca in horas.
Me virtus tua, me tuæ Camænæ,
Queis nil doctius elegantiusq; est,
Reddidere tuum, quod hisce paucis
Testor versiculis, manu (negare
Non possum) tremula, sed ore, corde
Ieiuno, stabili, & per omne tempus
Mansuro: faueant dij deæq;,
Consensus quibus oris atq; cordis
Et mens fraude carens solet probari.
Thesaurus preciosior negatur
Quàm syncerus amicus & fidelis.

AD

Ad eiusdem Blandulam.

Blandula bella puella veni, & dulcißima figc
Blandiloquo vati basia, languet enim,
Languet amore tui, misero succurre, per ora
Perq; genas oro Blandula blanda tuas.
Ni facis, extinctũ propera mox morte videbis,
(Phœbe pater tantum ne patiare scelus)
At tibi iam non blanda magis, sed sæua puella
Quod dec⁹ hinc veniet, qui tibi surget honor?
Ante diem tenerum vatem trusisse sub atras
Diceris tenebras impietate tua.
Quin etiam tumulus toto testabitur æuo
Quàm rigido fueris pectore, quamq; truci.
Sic etenim dicet: Calamino mentem animumq;
Eripuit fido Blandula fida minus.
Quare age blanda veni, & blãdißima suauia fige
Blandiloquo vati Blandula, saluus erit.

Valedicit eidem.

Cras nauem ingrediar, quæ me velocibus vndis
Ad muros sistat magna Vienna tuos.
Mi Calamine vale, valeat tua Blandula tecum:
Sic vtinam vero nomine dicta foret.
Tu tamen, illa licet ferro sit durior, insta,
Perge, virum præsta te modo, victor eris,
Blandula te blandis constringet victa lacertis,
Et tibi ius vitæ deferet omne suæ.

O hominem faustum, faciet quē prole frequenti
Blandula, quemq; facit dia Thalia patrem.

AD SERENISS. ARCHIDVCEM
Maximilianum, &c.

pro munere gratiarum actio.

MVlta equidem, meritisq; meis maiora benigno
Pectore largiris Dux animose mihi.
Hoc te virtutis studium docet, atq; Mineruæ
Cura tenax, amor hoc te docet Aonidum.
Sanguine Cæsareo te natum gloria magna est,
Communis tibi cum pluribus illa tamen.
Sed quia præclaras iungis Natalibus artes,
Diues & ingenij es pectoris atq; bonis,
Hoc Princeps generose tuum est, & laude perenni
Hoc te semideos inter & astra locat.
O pulchrum specimen virtutis, Præses honore
Teutonicæ summo Militiæ eligeris.
Cū vix quinq; tibi sint lustra peracta: quis olim
Non speret patriæ te fore dulce decus?
Te fore præsidium contra agmina barbara firmū
Pannoniæ, & regis te domitorem Asiæ?
Macte animo, nulli fortis succumbe labori,
Quodq; facis belli Pallada iunge Deo.
Nō bene Mars regnat sine Pallade: iūgat vtrūq;,
Res magnas quisquis laude patrare cupit.

AD

AD RVPERTVM STOZINGIVM.

QVòd mihi munificus faueat, me ditet egenũ
 Princeps, Stozingi, te monitore facit.
Ille quidem ſupra ætatis per ſe ſapit annos,
 Dicta tamen facili percipit aure tua.
Non ſecus ac dubio in ponto vaga vela magiſter
 Ambiguæ nauis prouidus arte regit,
Sic regis illius tu mentem animumq; ſalubri
 Conſilio, errori ne queat eſſe locus.
Hoc tibi pro ſtudio, proq; hac pietate Camænæ
 Perpetuas laudes magne Ruperte canunt.
Ornamenta tuæ, Charites è ſuauibus herbis
 Contexunt, laurum nectit Apollo, comæ.
Diua tuo Pallas monumenta æterna decori
 Ponit, & ætherei te patris inſtar habet.

AD RICHARDVM STREINIVM
Baronem Schwarzenauium, Sac. Cæſ. Mai. à Conſ. &c.

Sol velut auricomus radiis ſplendẽtibus anteit
 Syderei longè lumina cuncta poli.
Sic proceres longè cunctos Richarde relinquis
 A tergo ingenij nobilitate tui.
Sic variæ exuperas doctrinæ dotibus, vſu
 Sic magno rerum, moleq; conſilij.

Claruit haud aliis Nestor uirtutibus ille
Mellifluus fluxit cuius ab ore sonus
O vtinam plures numeraret Patria tellus
Qui tibi conferri magne Richarde queant.
Prospectum melius rebus communibus esset,
Non ita lamentis omnia plena forent.
Siste decem Aiaces huc, illuc Nestora siste
Vnum, vnus Nestor commoda plura dabit.

DE LITERIS, AD IMITATIOnem *Callimachi.*

TEmpora odoriferis toties velata corollis
Et nardo toties humida facta coma,
Accensum toties non vnius igne puellæ
Pectus, & Idaliæ furta iocosa deæ,
Ardor inexpletus Cereris, Bacchiq; iuuentæ
Cuncta q̃d hæc ꝑsunt: quiduè decoris habẽt:
Paulatim intereunt, docili sed condita mente,
Auribus & fidis, funus ad vsq; manent.

IN IMAGINEM SERENISSIMAE *Elisabethæ Austriæ, Galliarum reginæ viduæ.*

HVmanã quicunq; putas hanc esse figuram,
Falleris, hos oculos, hęc gerit ora Charis.
Addere si pictor potuisset cætera, mente
Hæc eadem Pallas, stemmate Iuno foret,

Paruit huic olim Reginæ Gallia, vitam
    Nunc ducens viduam tota dicata Deo est.
Scilicet expectat regni melioris honores:
    Illic quippe piis vera corona datur.

GEORGIO STADLERO.

NVlla tibi proles tot iam currentibus annis
    Cum prima quondā coniuge nata fuit.
Vix poteras sperare senex quæ te ore referret
    Progeniem, tamen hanc altera nupta dedit.
Blandulus ecce tibi nunc cunis ludit in arctis
    Infans, ô senij gaudia quanta tui.
Mira Dei bonitas quippe & clementia mira est,
    Stirpis ab interitu vindicat ille pios.

EPITAPHIVM HELENAE *Hatzenpergeræ.*

DElicium iacet hic mæstorū triste parentū,
    Quod rapuit celeri Parca seuera manu.
Fœminei sexus fors olim magna fuisset
    Gloria, nunc superi est portio grata chori.

IN SYMBOLVM NICOLAI HAVNOLdi *Cæs. Mai. ab epistolis in Camera aulica.*

FIdere quis tutò rebus mortalibus ausit,
    Cum firmum toto nil sit in orbe diu?

Irritus heroum fauor eſt, & gratia regum
Vana, ſalus homini nulla, iuuare nequit.
Rebus in afflictis dat opem Deus vnicus vnam,
Spe ſtabili huic fidas, deſtituere minus.

Aliter.

In fluxis opibus potentiorum
Ne ponas tibi ſpem, nec in fugaci
Confidas hominum fauore, nemo
Quorum præſidio diu beatus,
Tutus nemo diu fuit: ſed vnus
Sit tuæ columen Deus ſalutis.
Hic te triſtibus eximet querelis,
Hic poſt horribiles maris procellas
In fida ſtatione collocabit.

IOCVS IN RADIVM.

CAſtra diu Radium tenuere Cupidinis, acer
In quibus & ſolers miles vbique fuit.
Vulnera ſæua etiam pro chara paſſus amante eſt,
Chirurgi faciunt iurgia crebra fidem.
Nunc aliis armis, alia nunc caſside ſumpta,
Miles Mauortis caſtra ſubire parat.
Vulnera ſi à nudis accepit tanta puellis,
Qualia ab armato cominus hoſte feret?

Iocus ad amicum.

Quicquid amicitiæ non fictæ iura probaret
  Exhibui cupida mente ſubinde tibi.
Noſtra tibi patuit ſemper caſa quando venires,
  Et patuit, velles quando referre pedem.
Ipſe ego proceſsi porrectis obuius vlnis,
  Ipſe ego me comitem præbui ad vſq; fores.
Clauſa lagena tibi nunquam, ſed ſemper aperta
  Noſtra fuit, Cereris munera prompta dedi.
Quin etiam toto quam pectore diligo, feci
  Vt dominam poſſes ſæpe videre meam.
Rarus amor talis, vel me ſpectante, tenellæ
  Ad libitum poteras blandula verba loqui.
Tu tamen (heu facinus) truculento ſæuior apro
  Me toruis oculis, me petis ore truci.
Non bene pro meritis reſpondet gratia, amicum
  Eſſe decet facilem, parq; referre pari.
Non Cererem Bacchumq; tuum, nō deniq; totā
  Poſco domum, mihi nec grata puella tua eſt.
Hoc cupio: hoſtiles Henrice vel exue vultus,
  Vel manifeſti hoſtis nomina certa dato.

IN FLORES OPERVM D. BERNARDINI, *ad Iohannem Fridericum Serentinum.*

BErnardi flores tibi Serentine remitto,
  Innumeras grates & tibi mitto ſimul.
Sunt verè flores quales naſcuntur in hortis
  Elyſiis, quales turba beata legit.

Hos vtinam quiuis carpat mortalis, vt olim
Aeternæ lucis gaudia noſſe queat.
Floribus his textam tu Serentine coronam
Cœleſtes animas inter habebis ouans.
Et meritò, curam tam ſacri qui gerit horti,
Cur non hinc curæ præmia digna ferat?

AD RVPERTVM STOZINGIVM.

Gratulatio Diei S. Ruperti

HAc Ruperte tua die bibendum
Curis ſollicitis parum remotis,
Lætandumq́; erat è licentioris
Vulgi more, ſed artium bonarum
Amantiſsimus, & patronus ingens
Cùm ſis Pieridum, eruditus ipſe
Doctrina variaq́; perpolitus,
Cùm malis bona ſcripta lectitando
Horas fallere quæ vacant diei,
Quàm certare mero, ſcyphiſq́; plenis,
En noſtræ tibi mittimus Camænæ
Munus, verſiculos breues legendos,
Votis omnibus & precamur illum
Qui ſolem moderatur atq; Lunam,
Faxit incolumis diuq́; felix
Hanc poſsis numerare, liberiq́;
O Ruperte tui, tui nepotes
Te florente, diem, diem colendam.

IN FIDENTINVM.

Fidentine meum ne tangas obſecro librum:
Inſano capiti pagina nulla patet.
Si tamen hoc caruiſſe nequis, tu ſobrius illum
Tange, alij tangant cum caluere mero.

In aulicum vicioſum.

Illuſtri natum te iactas ſanguine, pulchrum
Te iactas, verum eſt, nemo negare poteſt.
At ſi velle bonas perges vitiare puellas,
Nec formoſus homo nec generoſus eris.

AD HENRICVM PORSIVM I. C. ET
Cæſ. Mai. ab epiſtolis in Camera aulica.

DVm me Pieridum delectant ocia, verſus
Et memorat faciles Muſa rogata mihi,
Neſcio quis rumor tota diſcurrat in vrbe,
Quæ faciat ſponſum me noua fama nouum,
Sic igitur vinclo mihi iungitur Anna iugali?
Pronuba Iuno faue, tuq́ iocoſa Venus.
Eſt aliquid lepidæ non diſplicuiſſe puellæ,
Cur placeat cauſam qui placet omnis habet.
Sed quia me ſponſum citius facit improba fama
Quàm ſponſa aut ſponſę ſit mihi nota parens,
Scis quid amice putem? falſo ſub nomine ſponſi
Omen erit, rurſus Iũno Venuſq́ faue.

AD BARTHOLOMAEVM PEZENVM V. I. D. *Cæs. Mai. Conf. & Oratorem destinatum ad aulam Ottomanicam.*

DIcebam Pezene tibi, nisi fallor, honores
Mox altos grato Cæsare dante feres.
Euenit, non vera magis dixisset Apollo:
En quàm defertur nunc tibi magnus honor.
Cæsaris Orator cum laude reuerteris vrbem
Ad Byzantinam, quæ tibi nota diu est.
Tractaturus ibi res tanti ponderis, atque
Momenti, quantum nemo referre potest.
Scilicet ingenij præstantis dulcia sunt hæc
Ornamenta, animi sunt decora alta boni.
Dignius hoc munus nemo potuisset obire
Te, Themis in cerebro cui sedet, ore Charis.
Qui rigidæ gentis mores, technasq; dolosq;
Et linguam exactè Bartholomæe tenes.
Cætera cum vasto de te sint cognita mundo,
Non opus est versu commemorare breui.
I felix, felixq; redi, maiora sequentur:
Gratia virtuti par nequit vlla dari.

DE FLOSCVLO A SVA SPONsa sibi donato.

EX horto mea cum pedem referret
Heri vespere sponsa, dulce ridens

Donauit

Donauit mihi flosculum, venustis
Spirantem Assyrium comis odorem,
Et pulchrè Tyrio colore pictum.
Illum mox ego, totus in furorem
Gratum, lætitiamq; raptus altam,
Mergo frigidulis aquis, fenestræ
Imponoq; meæ, pericla nulla
Nullas insidias timens latronum.
Quid fit? cum sopor altus occuparet
Molli languidulos quiete ocellos,
Nocturnus latro, fur, tenebrioq;,
Sorex aut fuerit, proteruus aut mus,
Florem surripit ah nimis tenellum,
Imbellem nimis ah, & innocentem,
Meas delitias, meos amores,
Illum nec magis inuenire possum,
Nec post amplius, heu, miser videbo.
Ob quod tam facinus malum & scelestum
Tanto conficior dolore, vt ipsum
Extinctum cruce pessima latronem
Vmbris tartareis velim dicare.
At tu flosculeter misclle, seu te
Ventre condidit improbo vorax mus,
Seu qua parte lates minus patente
Nobis, pro tumuli decore mæstus
His te versiculis duobus orno:
Flos dignissime Cypriis rosetis
Salue perpetuos valeq; in annos.

In cuiusdam simulatam pietatem.

Qui non sat bene te tuosq; mores
Nouit (nam globulos manu sacratos
Versas semper, & ore semper amplo
Preces per fora, templa, per domosq;
Fundis,) hic putat esse sanctitate
Vitæ te Curium, Numam, Catonem,
Vel si sanctior his fuit quis vnquam.
At qui te bene nouit atq; mores
Tuos (nam sceleris magister omnis
Versutissimus artifexq; es) ille
Te Cacum, Autolycumq; te Sinonem,
His vel peior in orbe si quis vnquam
Fuit, protinus esse clamat, imò
Fugit, deuouet, execratur, odit.
I nunc furcifer, & Diis frequentes
Conductis precio preces ad aras
Omnes relligione funde ficta:
Mercedem, mihi crede, iam tulisti.

Iocus ad amicum.

Vis nobis facinus referre, cuncti
Quo risu moriamur, ô amice
Ne tantum scelus in tuos sodales
Committas, facinus referre noli.

Author ſponſus

AD IONAM SONNEBERGERVM *Sereniſſ. Archid. Erneſti nobilibus pueris præfectum.*

VIncula q̃ ſemper fugi, nunc ſponte capeſſo,
Libertas arcta compede nexa gemit.
Mancipium cuius ſim factus, quæris? amicæ:
Succubui, cogor dulce ſubire iugum.
Vxorem duxi, fato ſic forte volente,
Moxq; iugale ſacrum concelebrare paro.
Si fieri fato connubia credimus, error
In me, qui fatum ſubſequor, eſſe nequit.
Vos precor ô ſaltem cœleſtia numina, quorum
Auſpiciis thalami fœdera pango noui.
Mente fauete pia, pro libertate relictà
Et mihi non durum pendite ſeruitium.

Valedicit Aulæ.

Mobilis aula vale, valeat qui viuit in aula,
Res mihi vobiſcum non erit vlla magis.
Quid ſperem ex nudis verbis, & nomine ſolo,
Si quæ promerui præmia non capio?
Inſignes titulos gerat alter, & vſq; fameſcat,
Eſſe ego iam nolo ſplendidus atq; miſer.

AD SERENISS. ARCHID. MAXIMI-*lianum*, *Electum* Regem *Poloniæ.*

Regia

Regia Sarmatiæ nõ tantum ſceptra mereris
Inclyte DVX, ſacri ſceptra ſed Imperij.
Tãnta tuo eſt animo virtus, præſtantia tanta,
Es Diuo ſimilis nomine reꝗ Patri.
Omnipotens tua cæpta Deus prǽclara ſecundet,
In cuius ſita ſunt, Regia corda manu.
O vtinam ex animo, & votis communibus iſtud
In regnum aſcitus MAXMILIANE fores.
Cum proceres ſtudiis certant diſcordibus, heu ꝗ
Perniciosa ſolent inde venire mala.
Hoc etiam accedit, Germano Sarmata nunquam
Quod veré faueat, quod cupiatuè bene.
Tu tamen i quo fata vocant, & fortiter inſta,
Ipſe deeſſe reſes ne videare tibi.
Quicquid ſors dederit, tete omnes talibus auſis
Herculeum dicent promeruiſſe decus.

Ad eundem.

Ibimus, aut regnũ aut mortẽ acquiremus in ar-
Dicebas magno MAXMILIANE animo. (mis,
Iuiſti, neꝗ mors tibi contigit, at neꝗ regnum,
Eluſit votum ſors inimica tuum.
Sicut aui inſidias molitur callidus auceps,
Sic poſuit laqueos gens maleſana tibi.
Sarmatia ô ſtudiis nimium contraria iuſtis,
Et plus quâm Scythico nota furore diu,
Rege licet nunc captiuo ſecura triumphas,
Auſtriacoſꝗ Duces irreuerenter habes:

Crede mihi haud impunè feres, te Thracius hostis
Cuius opem imploras sedula, diripiet.
Ille iugum iniiciet domitæ crudeliter, & tunc
Stultitiæ pœnas experiere tuæ,
At bene tu speres Princeps fortissime: fato
Quæ tibi debetur gloria: salua manet.

EPITAPHIVM THEODORO ARconato filiolo desideratissimo.

HAc pater infelix humili sub mole tenella
Filioli fecit condere membra sui.
Heu fatum infantis miserabile, corpore firmo
Nutricis culpa, nocte silente perit.
O nox infausta, ô nigro numeranda lapillo,
O Theodore malo sydere nate mihi.
Imo extincte malo: nondum te Cynthia pleno
Orbe bis in cunis viderat: ecce iaces.
Si lacrymæ possent infectum reddere factum,
Et reuocare vmbris corpora mersa nigris.
Quis lacrymis modus esse queat, sæuoq; dolori?
Ex oculis ruerent fluminis instar aquæ.
Irritus at dolor est, fletus nil proficit: atrum
In cinerem rediit quod fuit ante cinis.
Tu quem dulcis amor sobolis pia curaq; tangit,
Tam diro à casu disce cauere tibi.

EIDEM GEORGIVS CALAMINVS.

Hac

HAc vrna Theodorus, heus viator,
Arconatulus ille, bellus ille
Arconatulus hac quiescit vrna,
Matris delicium, patris voluptas:
Sed risus nimis heu breues parentum,
Et breues pueri osculationes.
Sic spes, gaudia sic fluunt caduca,
Atque vnum rotat vniuersa fatum,
Sortem sic variat vicissitudo,
Et sic omnia sunt nihil putanda.

Eidem Calaminus.

Hac Theodorus humo cubat Arconatul⁹, atrox
Et cita quem in cunis surripuit Lachesis.
Dulcem flent animam iusta pietate parentes,
Et fracti gemitu pectora concutiunt.
Incusat lachrymas pueri mens æthere fulgens,
Cumque Deo, terris libera, semper ouat.

AD ANDREAM VNGNAD, DAVIDIS *filium, generosæ indolis atque optimæ spei adolescentulum.*

DVcere ab illustri natales stemmate, magnũ
Esse aliquid, sano pectore nemo negat.
At si cum generis, Virtus operosa, decore
Iungatur, maius tunc nihil esse potest.

Tunc

Tunc verè à vulgo, virtute & sanguine præstans
Dissitus, accedit proximus ad superos.
Hoc tibi vt eueniat, præclaris artibus atq;
Virtute egregia Patrem imitere tuum.
Exemplum magis insigne haud occurrit, vtroq;
Tam bene nam præstat, vix queat, vt melius.

AD HENRICVM NICKHARDVM,
Cæs. Mai. Cons. & Secretarium Bellicum.

INter Neptunnũ, Vulcanũ & Pallada quon-
Suborta fertur non leuis contentio. (dam
Nimirum vtilius quis opus proferret in orbem,
Et plura multò quod ministret commoda.
In medium Neptunnus equũ, quod idoneus ille
Arationi sit futurus, & simul
Vecturæ statuit: Pallas commonstrat ad omnes
Iniurias procul fugandas aëris
Tecta: hominem fictum Vulcanus sistit, id ipsum
Ratus fore omnium magis præstans opus.
Arbiter his Momus delectus, carpere cæpit
Et hoc & illud pro sua libidine.
Ante alia humanum reprehendit corpus, & eius
Fabrum, fenestellas minus quod pectori
Per quas, occultum si quid penetralibus imis
Lateret, aspici queat, is astruxerit. (da,
Scilicet haud facile est hominum cognoscere cor-
Cum sæpè dicant aliud atq; sentiant.

At Nickharde tibi clathris nil est opus vllis,
In ore namq; cor, & in corde os habes.

Ad eundem.

Instabili nemo fortunæ fidat in isto
Immundo mundo, sed nec amicitiæ.
Dante fugam siquidem fortuna (vt mobilis vna
Nunquam sede diu est) terga dat ipsa fides.
Albentem citius coruum, quàm qui sit amicus
Integer, & fuci nullius inuenias.
Scire hinc difficile est, syncere à quo quis ametur,
Temporis ac rerum prosperiore statu. (reos
Quot precor esse putas, verbis qui grādibus au-
Promittant montes sorte fauente tibi.
Prætextu tamē hoc manibus pedibusq; laborent
Præcipiti vt lapsu, pressus, adima ruas?
Hic fore se fidum per cuncta pericula Achatem
Spondet, at ore aliud corde aliudq; gerit.
Ostentat mel dulce alius, sed dat fel amarum,
Atq; odium intus alens monstrat amare foris.
Instar apum tenero quæ fingunt ore liquorem
Iucundum, at stimulo tetra venena cient.
Eloquar expertus, si centum reris amicos
Esse tibi, verus vix tamen vnus erit.
Ne fidas igitur fortunæ, si sapis, isto
Immundo in mundo, sed nec amicitiæ,
Ast Nickharde quid hæc ad te? tu pectore forti
Illam temnis, & hanc vt decet vsq; colis.

EPI-

EPITAPHIVM SINANI, TVRCArum Imperatoris Veziri, & nuper Budæ præfecto.

TYrannus ille dirus hic Sinan iacet
Qui nuper oræ Pannonum præfectus, &
Budæ ſedens, hoſtem magis ſe callidum
Trucemq; genti Chriſtianæ præbuit
Quàm ſtrenuum, vel arte gnarum bellica.
Is clade magna fuſus ad Sixti oppidum,
Reuocatus & Byzantium grauiſsimis
Chriſtum colentes, perſecutus eſt modis,
Prognatus ipſe de parentibus licet
Piis, in vrbe præpotenti Inſubrium.
Sed vltio diuina non diu abfuit.
Cum nocte ſecurus quietem carperet,
Duo en miniſtri, queis cubilis tunc erat
Commiſſa cura, & corporis cuſtodia,
Et qui pari ſcelere ad fidem deſciuerant
Vltroq; Turcicam, Hungari haud ignobiles,
Cultro cruento guttur illi perſecant,
Et mille trepido corpori indunt vulnera,
Queis victus illicò meauit ad nigras
Pallentis Erebi vmbras, Stygemq; luridam.
Plerumq; nimirum Tyranni ſanguinis
Effuſionem proprio ſanguine luunt,
Diſcuntq;, ſed ſerò, Deum eſſe vindicem.

AD IOHANNEM BAPTISTAM Katzenstainer Cæs. Mai. libellorum bellicorum Expeditorem.

HEsterna quòd nocte tibi connexũs amoris
Fraterni fuerim fœdere, tũq; mihi.
Ne quis fortè putet vini hoc fecisse calorem,
(Res etenim miras vina patrare solent)
Ecce tibi hesternam ieiuno carmine mentem
Testamur, fœdus pangimus ecce nouum,
Donec Danubius præterfluet alta Viennæ
Mænia, quod neq; sors, mors neq; sera leuet:
Impellit virtus tua me, syncera voluntas
Vrget, & in niueo pectore nota fides.
Non igitur Bacchi sunt hæc incendia, nostram
Integritas animi fundat amicitiam.

IN CODRVM.

VVlnifico Codrus me rodit dente, mihiq;
Se veteri iunctum iactat amicitia.
Mentitur, veteris non est hoc munus amici,
Est inimicitiæ res manifesta nouæ.

DE LAVTISSIMIS MENSIS DAVIDIS Vngnad, Liberi Baronis, &c.

PEctore sollicito si quisquam nosse laborat,
Non quæ sint regum pontificumq; dapes:
Sed

Sed quibus in ſupera conſueuit Iuppiter aula
Coniuge cum diua cælitibuſq; frui.
Ille tuis menſis Vngnade accumbat, habebit
Cœlum, cælicolas, nectar, & ambroſiam.

Nauigatio periculoſa.

Quicunq; naui vehitur altum per mare
Is tantum abeſt à morte, quantum ab æquore:
Nam nauigantium inter extremum diem
Vitamq;, nauis ſola diſcrimen facit.

AD GEORGIVM HVETSTOCKERVM
patricium Crembſenſem.

O memorande mihi iucundos inter amicos
Hutſtockere fides mutua ſi quid habet,
Annos triginta nondum tua contigit ætas,
At numerat multos abſq; dolore dies.
Indulges hilaris Cereri, Bachoq;, puellæ
Et tibi formoſæ, ſed ſine labe, placent.
Quàm bene quæ nolunt differri gaudia noſti,
Otia quàm facili pectore blanda trahis.
Præcipiti fugitiua recedunt tempora curſu,
Viuere qui didicit commoda multa tulit.
Inſomnes alios curæ, tetriciq; labores
Diuexent, reliquos tu tibi viue dies.

In difficilem & moroſam mulierem.

Propria quā genitrix odit cane peius & angue,
Pignora quamq; odio propria ventris habēt.
Quā tolerare nequit, tolerans licet vsq; maritus,
Hæc bona sit? bona, si sit bona Tisiphone,

AD STEPHANVM SCHLACHTERVM,
I. V. *Licent. & Poëseos in Academ. Viennensi professorem.*

CVr mactatoris populari nomen haberes
Lingua, sæpè mihi causa rogata fuit.
Edocuit nemo, te præter: quando, requiris?
Carmina cum legeres nuper inepta mea.
Quòd mactare malos soleas Phœbo atq; Camœnis
Morte bona versus, quòd iugulare stylo.
Diceris hinc rectè Mactator, nec tibi nomen
Quod mage conueniat, iudico posse dari.
O mactatorem diuinum, victima quippe
Nulla potest Clario gratior esse Deo.

AD VVAICKARDVM COMITEM
Salmium IVLII *filium.*

PVlcer in irriguo ceu surgit flosculus horto,
Et metuit nullas sole fauente minas,
Sic VVaickarde tibi surgunt iucunda iuuentæ
Tempora, sic pingit purpura rubra genas.

At

At ſortis mortiſq; metu quò liber haberi
 Et decus æternum commeruiſſe queas.
Nitere, ſicut agis, ſtudio virtutis, in orbe
 Et virtute nihil firmius eſſe puta.

GRATIARVM ACTIO, ILLVSTRI
Heroi, Iulio, Comiti Salmio, &c. Cæſ. Mai. Conſiliario, &c. pro vino ſibi dono miſſo.

MVlta IVLIVS à benignitate
Heros ſplendidus atq; liberalis
Latè cognitus, artium bonarum
Idem, & Pieridum pius patronus,
Digno munere maximo poëta
Me donauit, ineruditum & aulæ
Aſſuetum mage ſemper inquietæ
Quàm choris placidis nouem dearum,
Vel doctæ ſtudio graui Mineruæ.
Sacros ô ego quando ſi liquores
Fontis Caſtalij ore pleniore
Hauſiſſem, mea ſi parum polita
Frons ornata foret virente lauro,
Ingens Salmiadum decus perenni
Verſu, ſidera in alta collocarem:
IVLIVS mihi, IVLIIq; virtus
Amplam materiem darent canendi.
I nunc inſipidum genus virorum,
Quod rupto ore tonas & vſq; clamas

Mecænas modò sit, forent Marones.
Ecce est IVLIVS optimus patronus,
Mecænasq́ piissimus cateruæ
Pulchros Aonidum colentis hortos.
Ede magnum aliquid, fauore dignum
Carmen concine, præmium sequetur.
Si tanti facit Arconatum egentem
Artis ingeniiq́, per sonora
Phæbi plectra, fides per eruditas,
Quanti, IVLIVS à benignitate
Heros splendidus atq́ liberalis,
Lato cognitus hac & hac in orbe,
Argutum faciet bonumq́ vatem?

AD VVAICARDVM COMITEM *Salmium.*

PEr se sat facilis, pius, benignus
Quòd me munere tam bono atq́ grato
Donauit genitor tuus, fateri
Istud factum operâ tuâ necesse esse,
Mirari nihil est: benignitate
Et virtute refers probè parentem.

AD IACOBVM MARIPETRVM *Patricium Venetum, virum doctißimum.*

ILle suum Cicero non tanta laude poëtam
Ornauit, quanta tu Maripetre tuum.

Sum

Sum tuus æternum ſi det mihi viuere Clotho,
Si rapiat vitam ſum tuus vſq; tamen.
At quia Pierias non norunt tempora frondes
Noſtra, nec Aonio flumine labra madent.
Ingenio quia deſtituor, me laudibus iſtis
Non ornas, potius ſed Maripetre oneras.

Zelotypiæ fructus.

AD IOHANNEM HVBERVM
Cæſ. Mai. Secretarium Bellicum.

MAritus ille qui furore percitus
Cæco, ſuæ non fidit vxori, nihil
(Vt mille alia ſilentio mala tranſeam)
Facit aliud, quàm quod proba de coniuge
Perſæpe mæcham reddat improbam, ſua
Cum turpitudine, & graui diſpendio.
Sic quæ ſuo marita non fidit viro,
Perſæpe cauſam dat, licet caſtiſsimæ
Vitæ ſit, impatiens vt hanc iniuriam
Amore vindicet peregrini thori,
Mendaciūmq; veritate ſupprimat.
Hinc Zelotypia plus fugari coniugum
A corde debet quàm venenum, quin nihil
Eſt ipſa Zelotypia niſi virus latens,
Senſim quod atterit dies vitæ & necat.

PAVLO DE ELLO, PRIuigno suo.

SI vis ingenuus puer per artes
Cultum reddere pectus, obtinere
Veram si sapientiamq; speras,
Olim quó tibi commodare magna
Possis laude, tuisq;, publicæq;
Rei, Paule, Deum time, labora.
Auctor est Deus omnium bonorum,
Et nil non superat labor fidelis.

AD IOANNEM LEONARDVM Fridelium Neoburgensem.

LAurea serta alius Parnaso quæerat in alto,
Et rapiat frondes ex Helicone sacras.
Ardua me tentare vetat, mediumq; tenere
Phæbei iuuenis sors metuenda iubet.
Ah summa est virtus, post numina diua, seipsum
Noscere, metiri seq; suo modulo.

TRISTI MEMORIAE SEBALDI à Blaw, in laudem Sac. Cæs Mai.

CIrcum Sebaldi mutilũ trepidumq; cadauer
Carnificis studio dum fera flamma furit.
Iusti-

Iustitia exultans solito plus, voce sacrata
    Proclamat, CAESAR Cæsare digna facit.
Supplicium iniustis decernit, præmia iustis,
    Non alio possunt regna vigere modo.

IACOBO THISIO BELGAE.

THisius Aonij non vltima gloria plectri
    Me vatum ocellũ nuncupat Germaniæ.
Percipit hoc Musarum vna, & subiungit, ocellum
    Hunc si Poëtarum vocas Germaniæ.
Quid Reusnerus erit? quid Betsius? ille q̃d ingens
    Melissus, astra cuius attingit decor?
Parcius ô Thisi de me post, oro, loquaris,
    Aut si meos quid esse versus iudicas:
Post reliquos vates, pulchros Germaniæ ocellos,
    Mî sat superq́ fuerit vmbra si sequar.

M. ANDREAE CALAGIO,
poëtæ Vratislauiensi.

ANdream veterem meum bonumq́
Amicum iubeo papyre visas,
Illum Bresla venusta quem poëtam
Sanè non vocat vltimum, nec odit.
Huic tu cuncta precare fausta nostris
Verbis, atq́ require num fruatur
Valetudine prospera, valenti

Vt moris solet esse gratulare,
Dic & me benè habere, mitiores
Donec dij meliora largiantur.
Hinc si non fore iudicas molestum,
Quid belli faciat roga, & supremum
An libro addiderit suo laborem,
Quem se pollicitus diu daturum est,
Ne durum & graue sit nouo poëtæ
Musarum penetrare celsa templa.
Nam dicuntur in arduis tenere
Sedes montibus, & licere paucis
Creditur iuga summa permeare.
Felicem ô nimis, atq; laude dignum
Andream (nisi me Thalia fallit)
Latè non modò cui nouem dearum
Sacros cernere contigit recessus,
Sed flores etiam manu perita
Hinc & hinc vario colore pictos
Et tinctos vario hinc & hinc odore,
Passim carpere fas fuit, futuri
Queîs Phœbi sibi necterent alumni
Magnum præter onus, molestiamq;,
Omni tempore delicata serta.
Sed tu rumpe moram, papyre, vade,
Transi Danubium, atq; diligenter
Mandata exequere ista nostra: librum
Tum si forte suum peregit, ora
Transmittat mihi quando perlegendum,

Eius vt studium vtilemq; curam
Versu perpetuo queam beare.

De eiusdem Epithetorum, Volumine ad studiosam iuuentutem.

Qualia carminibus sint ornamenta probandis
Immiscenda, nouus te liber iste docet.
Andreæ vigili studio, longoq; labore
Congestus, tandem qui venit in medium.
Dignū opus est lectu, duplici ratione, q̄ author
Sit bonus, ipsa etiam sit bona materies,
Qua, quicunq; sacras Musarum accedit ad aras,
Indiget, & nulla parte carere potest.
Nuda, suoq; sine ornatu qui carmina pangit,
Hic sine luce facem nocte nigrante gerit.
Adde, q̄ in vicium incurrat, nec nomen alumni
Phæbei cum aliqua laude tenere queat.
Huc igitur propera, cultum si scribere carmen
Absq; graui cura vis studiosa cohors.
Præsentemq; librum solerter volue, reuolue,
Instar Apollinei nam tibi erit tripodis.

AD ANDREAM BIRK ABBATEM *Aldenburgensem, & Sereniß. Archid. Maximiliano, &c. à Sacris.*

EGerat ætatis iam plures BIRCCIVS annos.
Aula in magnifica MAXMILIANE tua,
Præ-

Præfectus pueris, Heroum ſanguine natis,
Vir pius & magno præditus ingenio.
Hunc vbi Relligio nollet traducere in aula
Omne æuum (rarò nam miſera aula beat)
Sic ait, ô Bircci, Pallatia deſere tandem,
Tu quoq; ſacrifici pars eris ampla chori.
Ille gradus quamuis potuiſſet tendere ad altos
Coniugio, cælebs maluit eſſe tamen.
Maluit æternæ raptus dulcedine vitæ
Se totum pura mente dicare Deo.
Annuit ergo, capit de more inſignia ſacra,
Cæpta etiam Princeps promouet ipſe pia.
Mox Ardacenſis merito fit præſes honore,
Sobrius & vigili cuncta labore gerit.
Tam bene tractat opus diuinum, tamq; tuetur
Præſidis egregiè nomen & officium.
Illi vt communi voto delata ſit Aedis
Aldenburgenſis cura, ſacrumq; pedum.
Nunc vbi conſpicua floreſcit laude, nihilq;
Quod non ſit dignum Præſule Præſul agit.
O certas pietatis opes: primordia ſunt hæc,
Qualia adhuc reris præmia poſſe ſequi?
Crede meis BIRCCI verbis, meliora ſequentur,
Ad magnos titulos, te tua fata vocant.
Nam tibi ſancta fauet diuini numinis aura,
Tuq; Dei toto pectore numen amas.

IN CODRVM.

Omnia

OMnia tu solus vis esse, atq; omnia nosse,
Cunctaq; vis solus scribere, cuncta loq.
Omnia derides, reprehendis cuncta, sed ipsum
Te non nouisti, scis & es ergo nihil.

In eundem.

Cum nuper collum tibi cingeret aurea torquis,
Te pauperem esse prædicabas nobilem.
Nunc postquā torquis fumū migrauit in atrum
Mendicus es, præterq; fumum nil habes.

IN DICTIONARIVM QVINQVE *linguarum* Fausti Verantij, *Cæs. Mai. à Secretis per* Hungariam.

HEus gressum reuocate, ferte retrò
Pedem, si sapitis, labore multo,
Magnis sumptibus, & graui periclo,
Qui per extera regna cursitatis,
Vt vocabula, verba, dictiones,
Linguas deniq; dissitas paterno
A sermone, satis nec ante notas
Discatis, reuocate dico gressum,
Retro si sapitis pedemq; ferte.
En Verantius eleganter, aptè
Et doctè, ipsemet elegans, politus,
Multa præditus eruditione
Vobis quinq; simul, breui libello

Linguas

Linguas exhibet, ipſe quas ad vnguem
Callet, tamq; diſertè & expeditè
Cum res fert, loquitur, magis diſertè
Vt nemo, mage nemo & expeditè.
Hîc vili precio, labore paruo,
Securè, licet hac & hac vagari
Germanos, Italoſq;, Pannoneſq;
Inter, hîc quoq; Sarmatas loquentes
Per mundi varias plagas, Latinos
Hîc audire licet: moram quid ergo
Vſque nectitis? aduolate, librum
Et hunc eximium perutilemq;
Veſtrum reddite, comparate, totis
Et conſtringite brachiis, & vlnis,
Quem vir tantus in occupatione
Tanta compoſuit, libenſq; vobis
Iam nunc tradit, & exhibet fruendum.
Næ Verantius omnium bonorum
Sano iudicio, rudi iuuentæ
Multum proderit hoc ſuo labore,
Imo proderit haud parum ſenectæ
Quæ tot non meminit ſatis, vel olim
Linguas non didicit, tamen ſubinde
Illis indiget, & carere neſcit.
Sat hoc, tempora longa, læta, fauſta
Fauſto vos modo, corde & ore, mundi
A rectore precamini, per orbem
Eius ſpargite nomen, atq; famam

Dignis laudibus: haud sibi, beata
Et contenta suo decore semper,
Virtus præmia plura concupiscit.

IN SEBALDVM A BLAVV.

ESse Deũ qui cuncta videt, scelerumq; reposcit
Promeritas pœnas, quis dubitare velit?
Exemplum Sebalde tuum deterreat omnes,
Furtiuo qui animo facta nefanda gerunt.
Ecce pyrà super extructa miserabile corpus
Ardet, & in cineres igne furenter abit.
Terrarum domino poteras illudere, cœli
Fallere rectorem sed malè doctus eras.

AD HENRICVM PORSIVM I. C.
Cæs. Mai. Secretarium in Cam. Aul.

CAEsaris vt secreta geras, ascitus ad aulam
Augustam, Porsi, vade, vale, vigila.

AD HENRICVM NICKARDVM.

PArticipem toties me iam Nickarde leporum
Fecisti, tibi quos Suada diserta parit.
Nunc etiam leporũ, tibi quos operosa ministrat
Pallas, participem me facis: ecquid erit?
Illi animum pascunt, satiant hi corpus, haberi
Tales in supera, vix reor arce cibos.

Det Pallas lepores tibi plures, Suada lepores,
Tam benè conueniant cum lepus atq; lepos.

Nihil melius bona, nihil peius mala vxore.

Cui bona contingit paucisq; obnoxia coniux
Criminibus (prorſus crimine nulla caret)
Ante alios verè vir felix ille vocari
Debet: nil melius nam muliere bona.
Gratior eſt auro, gemmis eſt charior vxor
Quæ probitatis amans cor ſine felle gerit.
Vix dare poſſe deos munus præſtantius vllum
Crediderim, ſocium quàm ſine lite thorum.
At miſerum nimis & peruerſo ſidere natum,
Tiſiphone vxorem cui dat iniqua trucem.
Horrida res pelagus cũ fluctibus æquora pulſat,
Per loca flamma furens arida grande malum.
Multi nihil grauius, nihil cenſent triſtius eſſe
Pauperie, nulli bella cruenta placent.
Sunt mala multa latus mundi diffuſa per omne,
Coniuge ſed nihil eſt peius in orbe mala.

AD SERENISS. ARCHIDVCEM *Auſtriæ* MATTHIAM, *&c.*

Turbata ſerenant.

OCeano in magno cùm tempeſtate coorta
Hinc Boreas, illinc intonat Eurus atrox.
Horren-

Horrendũ fluctus ſtrepitũ ſuper æthera tollũnt,
Deprenſas miſerè concutiuntq́ rates.
Antennas frangũt, & vela ſub æquore mergunt,
Ac dirum intentant vndiq́ naufragium.
Tyndaridæ, gemini fratres, ſi fortè coruſcos
Exertent vultus, & parili igne micent,
Tũc animos nautę ſubitò, & noua gaudia ſumũt,
Diffugiunt venti, conticet ira maris.
Turbatam cœli faciem lux alma ſerenat,
Et ſequitur ceptum ſoſpita nauis iter.
Sic poſtquam duris mortales caſibus acti,
Fortunæ varias ſuſtinuere vices.
Iamq́ extrema timent, dubitant, nullamq́ ſalutis
Aut ſaltem exiguam ſpem ſupereſſe putant,
Sidera ſi ſpectent erecta mente, benignam
Atq́ auram ſuperi flaminis, ore petant:
Tunc ceſſant, operante Deo, lamenta, dolores,
Aerumnæ, & quicquid triſtia corda premit.
Succedunt iucunda quies, optataq́ rerum
Conditio, & placidi gaudia tuta animi.
Felix qui aduerſas didicit res ferre, ſecundas
Aequius hic multò poſt tolerare poteſt.

DE INSVLA CRETA, AD *Nicolaum Haunoldum.*

QVæ quondam meruit Iouis vocari
Magni patria, quæ polum labore

Aequans Dædaleo per vniuersum
Orbem clara fuit, sibiq; famam
A centum vrbibus inclitam parauit
Quid nunc Cretæ? decoris vmbra prisci.
Nil hic magnificum, nihil venustum,
Dignum laude nihil, vorauit atro
Tempus omnia dente, dissipauit,
Et nigrum in cinerem redegit vrbes
Arces, oppida, templa, quin stupendùm
Dictu, flumina perdidere cursum.
Qua quondam ratis ibat & redibat,
Nunc sicco pede transeunt coloni.
O rerùm variatio, ô vetustas
Quantum sæua potes? tibi metalla
Cedunt, marmora nec diu repugnant.
Non Minos reuocatus inferorum
Vrna diceret hæc auita regna.
Theseùs multiplici domum reflexù
Non agnosceret hoc situ, nec ipse
Forsan Iuppiter hic iacere vellet
In cunis iterum tenellus infans.
Sic ô sic aliquando nunc triumphans
Securè Austriaco solo, Vienna
Vrbs dicetur ab exteris fuisse.
Non Praga effugiet necem, superba
Quamuis ædibus æmuletur altis
Romæ splendida tecta: Nicolae
Candissime, vinculoq; amoris
Con-

Coniuncte à pueris mihi, venusta
Vratislauia sic peribit, altrix
Quondam nostra, aliæq́; ciuitates
Insignes, validæ, & metu carentes.
Nil hic perpetuum est, sed assequuntur
Finem cuncta suum, superstes vna
Virtus durat in omne tempus æui.

Cælitus impendet.

NICOLAO BETSIO MECHLI-
niensi Belgæ.

QVi sola in affluentia rerum putat
Veram beatitudinem consistere,
Errat miser, beatus ille centies
Vereq́; felix est, sibi qui conscius
Mentem integram, & scelere carentem possidet,
Spemq́; in Deo suam reponens firmiter
Profana vitæ spernit huius gaudia.
Acutus ensis impij super caput
Fragili dies noctesq́; pendens vinculo
Minatur è cœlo vltionem criminum,
Qui cum solutus irruit semel, necat
Et huius & vitæ futuræ commoda.

AD HIERONYMVM BECK
à Leopolsdorff, &c.

ERigis haud vnã profusis sumptibus arcem,
Hospitio regem qua bene suscipias.
Alcinoi syluis certantes excolis hortos,
Fontes, piscinas, flumina, stagna fodis. (hæc,
Verè opera egregia, & te digna Hieronyme sunt
Quæq; tibi æternum nomen in orbe parant.
His verò quia diuersos numeroq; carentes
Aequali studio iungis & ære, libros,
Relliquias prisci quia colligis vndiq; secli,
Et facis vt surgant marmora lapsa diu.
Hæc reddunt similem te diis Hieronyme: viuunt
Nam pietate tua quæ modò mortis erant.

In Amorem marmoreum dormientem.

Dormit Amor, caueas illi interrũpere somnum,
Confodiat iaculis ne tua corda suis.

In obitum

IOHANNIS TRAVTSONII, LIBERI
Baronis Sprechenstainij, &c. Cæs. Mai. &c. à secretioribus consiliis primarij.

HEu quid sæua Dei minatur ira?
Heros Trautsonius diem peregit?
Eheu, nunc lacrymæ rigent perennes
Vultus attonitos, gelata corda
Tremor pallidus occupet, querelis
Et singultibus, efferoq; luctu

Sint

Sint plena omnia, nulla iam per vrbes
Vestis conspiciatur, hac vel illac,
Ni lugubris & atra sit, dolorem
Ac testetur acerbum & impotentem.
Ille Trautsonius senex obiuit:
Cuius consilio graui tot annos
Vsi sunt quatuor potentiores
Terrarum Domini, Gradiuus armis
Seu motis fremeret, Minerua dulci
Seu gaudens requie bearet orbem:
Cuius dexteritate & arte mira,
Insigni sapientiaq; raro
Turbam publica res malumuè sensit,
Sed firmis stetit vsq; & vsq; fulcris,
Haud vllam metuens sibi ruinam:
Staret atq; vtinam diu & vigeret.
Ille Trautsonius senex obiuit:
Quem tu plus oculis tuis amabas
Clementissime Cæsar ô RVDOLPHE,
Primum nempe decus tui senatus
Augusti, grauioris, intimiq;.
Aulæ fama, palatiiq; splendor:
Qui desiderium sui supremum
Hinc migrans, tibi, cæterisq; celsa
Ortis stirpe tuæ domus auitæ,
Et toti Imperio sacro reliquit:
O mors quam fera, quàm fores proterua
Illum si ante diem inde sustulisses,

Mersisses nigrantibus tenebris.
Nam mos est tibi delicata quæque
Et præstantia protinus rapaci
Dextra surripere, & nimis cruento
Heu nimisque auido vorare rictu.
Hîc sed non ita tu, virum timebas
Quæ tantum propero inuolare morsu.
Felix attigit vltimam senectæ
Metam Trautsonius, puto nec vltra
Vitam ipsum potuisse sustinere
Quam tu longius & lubens dedisses.
Ergo nil reliquum fuit, beatè
Quàm cum vixerit, & satis superque,
Vt tandem moreretur & beatè,
Ac cum diis superis polo receptus
(Quem votis toties cupiuit imis,)
Aeterna frueretur ociosus
Iam nunc lætitia, & quiete sancta.

Epitaphium eidem.

Lilia sparge rosis commista viator odoris,
Fletibus & largis vndique tinge solum.
Trautsonius iacet hic Iohannes: plura requiris?
Maximus ille sago, maximus ille toga,
Qui pro Cæsaribus tot Diuis re bene gesta,
Numine ab illorum, nomine primus erat.
Certa salus hominum multorū, cura Tonantis:
Hoc sat, tu cineri fausta precatus abi.

AN-

ANDREAE BIRCK ABBATI *Aldenburgensi.*

SI quis ob egregias Musarũ & Palladis artes,
Candorem si quis mentis ob eximium,
Si quis ob ardentem veræ pietatis amorem,
Quouis sublimi dignus honore fuit:
Dignus erit vigilans Altburgi Præsul, & inter
Indigetes meritò cur referatur habet.
Sed prius Ambrosiam & nectar q́ꝫ gustet in aula
Aetherea Pylij compleat oro dies.
Sentiat aduersæ vim nullam sortis, & illi
Annosum decoret rubra tiara caput.
Hinc tandrm è terris sublatus ad astra, fruatur
Intuitu superi delicioq́ꝫ chori.

Tria insatiabilia.

Omnia cum poßint expleri, tempore nullo
Expleri possunt fœmina, flamma, fretum.

AD IEREMIAM MILIVM *Betterfeldensem.*

ILle bonus vates, de campo nomen amaro
Docte Mili patriæ qui putat esse tuæ.
Non bene credo putat: nam te ipso teste, vocata
Antiquis campo de meliore fuit.
Siue hoc siue illud, quid refert? te modò ciue
Nil habeat melius Patria terra suo.

In obitu

FERDINANDI COMITIS NAGAROLII, *Cæs. Mai. Consiliarij, & supremi Iauriensis & Præsidiorum finitimorum Capitanei.*

SI Bellatoris decus est, non corpore tantum,
Sed præstare animo, consilioque graui,
Quis Nagarolem satis expleuisse negabit
Et ducis & validi militis officium?
Ille quidem haud adeò pollebat robore (morbo
Sæpe recurrenti nam labefactus erat)
At sibi commissam iusto moderamine gentem
Et vigili quoduis arte regebat opus.
Principio finem, causam euentuque notabat,
Suscipiens temerè nil timideque nihil.
Semper vt anteirent res, atque occasio rerum,
Non sequerentur, ei prouida cura fuit.
Hinc adeò gessit feliciter omnia, honoris
Hinc altos cæpit Cæsare dante gradus,
Esse caput, cerebrumque docens, nō crura manusuè
Queîs regere, ac hostem Dux superare queat.

AD STEPHANVM SCHLACHTterum.

FAbellam lepidam tuam, venustis
Expressam hendecasyllabis relegi
Non tantum semel, at quater magisuè

Mi Schlachtere, poëta delicate.
Hercle perplacuit, meæq; menti
Curis non leuibus diu grauatæ
Dulce protinus attulit leuamen.
O si vincula nulla me tenerent,
Vel quærendus amor nouus mihi esset,
Quàm libens sequerer tui puelli
Sanum consilium bonamq; mentem,
Qui spreta vidua atq; anu tremente
Iubet ducere simplicem puellam,
Mansuetam, facilem, dolo carentem,
Et quæ semper idem velit quod ipse
Maritus velit: haud enim iugali
Quicquam dulcius est thoro, iugati
Cum viuunt sine iurgiis & ira.
Contra amarius est nihil, iugati
Cum in partes varias trahuntur, vnam
Nec mentem, studium gerunt nec vnum.
Quare tu quoq; cautus eligenda
Vt sis in socia, videto, lecti.
Ne longus breue gaudium sequatur
Luctus: dij meliora, duc puellam,
Si vis ducere coniugem, beabit.

SEBASTIANO EPISCOPIO CONstantiensi, Sponso, & Elisabethæ Cypringeræ Viduæ, Sponsæ.

Afful-

AFfulgere duos ferunt marito
Tantum lætitia dies refertos,
Vnum, cum celebrat iugale sacrum,
Vnum, funere cum iugale vinclum
Cessat: sed malè. Nam cui pudica
Frugi, culta, Deum timensq; coniux
Contingit, veluti Sebastiane
Sponse, sponsa tua est Elisa, toto
Hic vitæ spacio potest beatus
Lætari, & misero carere luctu.
Ergo sis hilaris, tuiq; tecum
Sint conuiuæ hilares, bibant, choreas
Ducant, cætera prouidebit ipse
Autor coniugij Deus sacrati.

Eidem sponso.

Ne te ipsum nimio premas dolore
Fortunæ ob rigidæ procacitatem,
Imò sustineas eam furentem
Forti pectore, sat sciens quietem
Res persæpe quòd afferat molesta
Dulcem, quodq; malum boni subinde
Causam præbeat: at caueto rursus,
Fortunæ caput efferenti amicum
Ne fidas nimis, aut tibi insolenter
Gaudeas, nimiumq; gratuleris.
Si sic feceris, vt facis, beatus
Mortales eris inter, & superstes

Diu: nam ſapientiæ ſupremæ
Eſt, mentem retinere ſemper æquam.

AD IOHANNEM HVBERVM.

SIc me Pierides ament venũſtæ
Vt Hubere libenter vſq; & vſq;
Tecum, coniuge cum tuaq; dulci
Cænam ſumere prandiumuè malim,
Quàm cum ipſo Ioue, quàm Iouis ſorore.
Non quòd fercula delicata menſis
Ponantur nitidis, & expolitis,
Non præſtantia vina quòd miniſt i
Scyphis perſpicuis ſubinde mutent.
Sed quòd doctiloquo fluant ab ore
O Hubere tuo, tuæq; nuptæ
Tam iuuantia, tam decora verba,
Pigmentiſq; carentia atq; fuco:
Nimirum Charites quibus modeſtæ
Vtuntur, quibus & probati amici,
Qũales nos ſumus, & fauente Parca,
Ad ſeros erimus dies ſenectæ.
Hoc ne te fugeret, tibi legendos
Iſtos verſiculos, viro erudito
Rudis mitto poëta, te valere
Et bellè iubeo, tuoſq; amores.

AD FRANCISCVM THARSIAM.

 Cernis

CErnis vt hæc gēmas imitētur poma rubētes,
Turpiculos vermes attamen intus alant.
Sic hominum formæ non tutum est fidere, vultu
Sub roseo tabes lurida sæpe latet.

AD CHRISTOPHORVM MEIRICHIVM.
Cæsar. Mai. &c. lustri per Hungariam Tabularium.

CVm tot vndiq; iactiteut poëtæ
Insignes titulosq; lauream q;,
Diui munera Cæsaris superba,
Miraris quòd ego latens tacensq;
Nil horum cupiam, poëta (verbis
Vt tuis loquar) elegans: amice
Aequales pedibus gero cothurnos.
Noui CAESARIS optimam RVDOLPHI
Mentem, nec semel illius benigni
Sensi munificentiam fauoris.
Rursus hoc scio, Cæsarem poëtis
Non solum titulosq; lauream q;,
Sed conferre bonos & expolitos
Versus, laurea serta nec poëtam,
Sed cultam facere eruditionem.

Premor non opprimor, de se ipso.

Me semper sors dura premit, non opprimit vnq;,
Hoc ego cedo minus, quò magis vrget ea.

AD MARTINVM SCHEDELIVM
Sac. Cæs. Maiest. &c. ministrum, & ciuem Posoniensem.

NVncia fama mihi vestrã cum diceret vrbem
In cineres totam penè abiisse leues,
Heu quantum dolui, suspiria corde quot imo
Deduxi, quàm vix fletibus abstinui?
Erronesnè duo, mentiti Turcica vincla,
Sunt patrare ausi tam exitiale scelus?
Heu pietas, sic tecta vorant pulcherrima flammę
Infames? potuit ferre nec Ister opem?
Tam preciosa perit subita sic clade supellex?
Tam citò fit pauper qui modo diues erat?
Hæc sunt fortunæ ludibria: tecta crementur,
Res pereant: si mens integra sit, satis est.

AD BLASIVM HVTTERVM, SER.
Archid. Ernesti ministrum cubiculi.

MAgni te facio, tuiq; claras
Dotes ingenij, optimæq; mentis
Candorem tenerum, polite Blasi,
Blasi prima cubiculariorum
Fama Principis incliti, benignum
Cuius ante alios subinde sentis
Fauorem quoq; gratiamq; mitem.
Hinc te versiculis meis rogatum

Impensè

Impensè volo, mutuum rependas
Amorem mihi, par pariq; reddas.
Nam doctis cupio viris placere,
A cultis cupio viris amari,
Indoctus licet ipse & impolitus.
Hoc si consequor, esse me beatum
Longè duxero, te meisq; rursus
Si quid Musa potest, beabo metris

AD IACOBVM MARIPETRVM.

QVicquid agis, quicquid loqueris, Maripetre, lapillis
Gratius est, vitrea quos legit Indus aqua.
Liuor edax valeat, mutato nomine iam nunc
Gemma marina mihi, non Maripetrus eris.

Ex Psalmo 126.

Qui sua cum lacrymis committit semina terræ,
Hic segetem lætam tempore messis habet.

In asinos arbori insidentes.

Aspice frondosa tumidos super arbore asellos,
Ferreus es, risum si cohibere potes.
Aereas illinc volucres pepulere, sub ipsa
En mutæ vt lateant arbore: mira vides.
Implumes quid agāt asini super arbore? frondes
Sunt antiqua auium (quis neget?) hospitia.
Scilicet

Scilicet inualuit mos hic peruersus in aulis,
Altos conscendit turba prophana gradus.
Et quos sacra Themis docta cum Pallade ditat,
Illis vix primum limen adire datur.
At caueant asini ramis ne pondere fractis
Collidant lapsu præcipitante caput.

INSCRIPTIO DOMVS BRASSIcaneæ, Viennæ.

RVDOLPHVS Cęsar teneris cū fratrib⁹, ęuo
Dignatus primo est hanc habitare domū.
Quæ iure ad gentem cui fecit Brassica nomen
Pertinet, & laudes afferit æqua Themis.
Huic, si recta tibi mens est, dic fausta viator,
Atq; domus domino verba precare bona.

LVDOVICVS INDERHELL SACRAE Cæs. Mai. Cameræ Aulicæ rationum præfectus, Hieronymo Drconato suo.

ARconate nouem flos atq; corona sororum,
Quę iuga Parnassi frōdea, & antra colūt.
Si tibi forte pedem licet è penetralibus harum
Efferre, & nostræ limen adire casæ,
Nec te sic blandæ retinent diuæ, nec ab ipsis,
Vt tu culta ligas verba, ligatus eris,
Sis meus hac conuiua die, cùm dena fugacis
Temporis admonitrix machina, signa dabit.

Filius est cuir cristati patris, & extra hunc
Præterea nobis nonnihil alituum.
Non quales temere tuus in sublime receptus
Frondibus exclusit quadrupes arboreis.
Sed quos in sylua campoue fefellit aperto
Aucupis haud vnquam desidis ingenium.
Hos carpendo igitur nos deplumabimus vnà,
Exhilarans Baccho suppeditante merum.

ARCONATVS LVDOVICO *Inderbell.*

EX quo versiculis tuis venustis
Non solum mihi prandium vocato
Sed cœnam pariter dedisti, amice
Iucundissime, dura me Camæna
Aequis luminibus videre non vult.
Auertit pater ipse Phæbus ora,
Et me destituit sacrata lympha
Antri Pierij: quid esse dicam
Istud, heu nisi quòd nimis frequentes
Oblitus malè fontium poëta
Crateras, calices, scyphosq; plenos
Vini Pannonici insolenter hausi,
Quinimò dapibus nimis quòd illis
Dignis conuiuio Iouis superbo,
(Sed conuiua Iouis sit alter, istæ
Nil me deliciæ poli morantur)

Expleui ſtomachum fame calentem?
O quàm nunc meritò bibacitatis
Pœnas indomitæ gulæq; pendo.
Phæbus me fugit & fugit Thalia.
Heus ſed, qui Ludouice te daturum
Eras pollicitus (ne quis negare,
Teſtes ſunt elegi tui diſerti)
Criſtati modò patris euiratum
Filium, nemoriſq; aues agriuè
Paucas, cur patinarias ſtruices
Tantas inſuper & tot addidiſti?
Fallor eſt aliud Camæna cur ſic
Noſtra conticeat: tui lepores
Argutiq; ioci, ſaleſq; docti
Me elinguem Ludouice reddiderunt.
Nam quis audeat aut loqui loquente
Aut te ſcribere ſcriptitante? tanta
Eſt vis ingenij tui tuæq;
Linguæ, tantus & eruditionis
Humanæ cumulus: quid ergo ſcribis,
Dices? cogit amor furens medullis
Quo te depereo impotenter imis,
Hunc tu amplectere, ni ſatis probabis
Verſus, parq; pari lubens refunde.

In nomen eiuſdem.

Impoſitum quiſquis nomē tibi credit AVERNO
Fallitur, ex alio nomen & omen habes

Illud quod tenebris cœlum terramq; serenat
    Discussis, nomen dat Ludouice tibi.
Omen confirmant frons læta animúsq; serenus,
    Et virtus Phæbi lumine clara magis.
Dij faciant quæ nunc virtute & nomine tangis,
    Post Pylios teneas astra serena dies.

EPITAPHIVM ADAMO DITTRICH-*stainio, Libero Baroni Hollenburgi, Cæsar. Mai. supremo Aulæ præfecto, & Consiliario intimo.*

Relligio, Pietas, Virtus, tria numina magna
    Hoc vno & paruo condita sunt tumulo.
Corde cares, lacrymas largo nisi flumine spargas,
    Fumida thura lites, & bona verba feras.
Ergo etiã pereunt iam numina? non, sed Adamus
    Qui iacet hic, triplicis numinis instar erat.
Illo vt defuncto videantur & illa iacere,
    Subq; vno titulo, sarcophagoq; tegi. (vrna,
Quin nec Adamus obit, nec in hac est conditus
    Vallibus Elysiis ille receptus ouat.
Scilicet hanc sedem virtus pietasq; merentur,
    Hunc sibi Relligio deligit alma locum.

In obitum eiusdem.

Quisquis Adame tuas Phæbeo percitus æstro
    Dicere res magnas, & pia facta parat.

Quæ pro Cæſareo ſplendore tot impiger annos
Egiſti, atq; adeò laude & honore Dei,
Is pariter numerare parat pelagi vel arenas
Littoreas, gemino ſparſa vel aſtra polo.
Hinc quòd Neſtoreo fueras digniſsimus æuo,
Nemo non luget morte doletq; tua.
Debebas patriæ vixiſſe diutius, Aulæ
Cæſareæ, & rebus totius Imperij.
Iuſta querela quidem, quis deneget? aptior iſtis
Te præter nullus Trautſoniumq; fuit.
At ſoluenda ſemel naturæ penſio, terræ
Reddenduſq; fuit, venerat vnde, cinis.
Spiritus ad cœlum, deſcenderat vnde, leuandus,
Et linquendum orbis quicquid inanis habet.
Frûſtra igitur luctus, fruſtra dolor, atq; querela,
Vixiſti Patriæ Cæſaribuſq; ſatis,
Et tibi: qui ſummis perfunctus honoribus, omni
(Quantum vita ſinit) parte beatus eras.
Nunc fato functus, multoq; beatior, inter
Cœlicolas aliis fungeris officiis.
Quę cui poſt obitum contingunt, viuere demum
Incipit, & mortis dulcia lucra facit.

INSCRIPTIO IMAGINIS D. GEORGII:
Georg. Klainſtretelio.

MIlitiam qui Chriſte tuam ſine fine tuetur,
Proq; tuo moritur nomine, Victor erit.

IACOBO THISIO.

Thisius ingenio felici clarus, & illis
Artibus Ausonio quæ viguere solo,
Sæpe meos hostes per carmina structa latentes
Explorat, censet, damnat, & interimit.
Quid dicam tali de milite tamq; fideli?
Thisius en mihi iam Theseus alter erit.

IN ITALIAM NICOLAI Reusneri.

Italiam vidit nunquam, sed tam bene de illa
Reusnerus terso scribit agitq; libro,
Vt medio Latij credatur natus in orbe,
Vel Latium multos incoluisse dies.
Scilicet ingeniũ quid non, quid nõ labor explet?
Rimantur terras hæc, penetrantq; polos.
Teutoniæ quondam nomen dedit Itala virtus,
Nunc famam Italiæ Teutona Musa parit.
O suauẽ gratãq; vicẽ: quid adhuc? quoq; lingua
Iam volet Ausonia fœmina virq; loqui.

AD IOHANNEM MICHAELEM Brutum.

Narrauit mihi Thisius fidelis
Tuus Brute cliens, meusq; amicus

Ingens, te rediisse iam Viennam
Praga, teq; satis probè valere.
Sic me dexter Apollo cum Thalia
Nunquam deserat, vt libenter istud
Audiui: reducem videre tota
Opto mente, tuo frui benigno
Aspectu cupio, tuasq; dulces
Arrectis bibere auribus loquelas.
Quare si videor tibi, canoro
Cygno graculus obstrepens, sat esse
Dignus, Brute ube venire me ad te,
Cum negocia nulla te morantur,
Cum Musis animus vacare cessat,
Horam perdere cum libet diei.
Hem quid perdere? per Iouem locabis
Tempus vix melius puto ociosum:
Semper namq; ego doctior recedam
Multò quàm veniam, diserte Brute.
Et te propterea bonum magistrum
Gratus discipulus colam perennè,
Sublimem rapiam meis ad astra
Olim versibus, alterumq; Phæbum
Nouem constituam choro dearum.

Paupertas.

Res bona paupertas: dominũ cũ cætera mutent,
 Perrarò dominum deserit illa suum.

Aulam sequentibus: sua cui præmia
Virtute digna dantur atq; industriæ:
Aliunde ni sis diues ac viuas bene,
Egebis omni tempore, & viues male.
Te fænerator exedet pecunia
Quam mutuò concedit, amplo pignore
Accepto, is aut Iudæus aut sit Italus.
Germanus aut, sed more non Germanico.
Vsura præstò ni sit, aut fænus triplex
Fert nemo opem, nemo tibi quid commodat.
Heu quòd vel id quod iure debetur, graui
Multoq; pro labore, non vllis queat
Modis haberi, siue supplex per deos
Omnes, salutem siue per tuam, caput
Per coniugis, per liberorum dulcium
Vitam roges, instesq; fusis lacrymis.
At ipse rerum conditor vetuit Deus
Mercede ne quis pauperem virum sua
Defraudet ac fructu laboris, debitam
Solutionem de die nec differat
In alteram diem, sed ocyus ferat.
Hoc & mihi (licet ego doctis in viris
Habere nomen vel locum non expetam)
Hucusq; cum contigerit, & miser premar
Quantum magis nemo omnium penuria
Rerum, querendi iustam habeo causam satis.
Sed ah querelæ neminem mouent meæ,
Aures lacesso surdiores æquore:

Saltem ô tuas aduerte Laurenti precor,
Et me (potes nam plurimum, tantum velis)
Præfectum apud fisci iuua, suade vt mei
Tandem misertus, imperet salarium
Solui trium vel quattuor mihi mensium.
Quod si facis, facere vt decet te, candidum
Comem, peritum, & integrum, & pium virum,
Mecum tibi deuincies nouem deas,
Ipsumq; Phœbum Gratiarum cum choro.

VIR IVSTVS, EX GRAECO, AD
Michaëlem Titulum Silesium.

VIr tibi sit iustus, nō is qui non nocet, at qui
Non vult, quantūuis sæpe nocere queat.

IN QVENDAM BARONEM.

VLtrò tantus eques me inuitas, prandia tecū
Vt sumam, & verbis mutua verba ferā,
Aduenio (quis enim nolit parere iubenti?)
At tu, nunc equidem non vacat hospes, ais.
Ieiunumq; finis discedere, fortè daturus
Prandia post, satis est verba dedisse modò.

EX GRAECO AD MICHAE-
lem Stoll, &c.

Qui

QVi primus vnquam duxit vxorē, malè
Perire poſsit, deinde qui ſecundus, &
Qui tertius, tum quartus, & poſt qui vltimus,
Haud liber eſt, iugale vinclum qui ſubit.

AD BACCHVM, VT VINEAS
earumq; fætum tutari velit.

FErre potes Lenæe pater, quòd ſuauibus vuis
Vim tantam faciat mixta pruina gelu?
En (dolor) vt ſqualent, pulchrū vt poſuere deco-
Non ſecus ac tactæ ſi Iouis igne forent, (rem,
Nulla poteſt generi humano contingere clades
Triſtior, excidium quàm bone Bacche tuum.
Pampineæ vites, vuæ, tumidiq; racemi
Sunt tua dona, noui tu dator eſq; meri.
Illis quæ fiunt tua ſunt quoq; damna, tueri
Te vineta decet, ne quid obeſſe queat.
Quod Bacche vt facias, te ſupplice voce p̄camur
Fidi cultores numinis vſq; tui.
En cerne hunc multa nitidū pinguedine caprum,
Iſte tuis aris victima grata cadet.
At nos texemus capiti genialia ſerta,
Seu placeant hederæ, ſeu rubicunda roſa.
Non deerit prona facie procumbere, vini
Plenior igne, tuos qui velit ante pedes.
Hæc niſi te moueant, aliud quid quæſo ſuperſit,
Quàm quòd nobiſcum par patiare malum.

PAVLO

PAVLO DE ELLO PRIuigno ſuo.

VT tibi Romani veniat vindemia mellis,
Non alias foueas quàm Ciceronis apes.

EX GRAECO, AD DANIELEM Mentzelium, Sileſium.

FVtura qualis nauigatio ſiet,
Oportet explorare ſtantem in littore,
Si mente quicquam poſsit ac induſtria:
Poſtquam ſed altum fuerit ingreſſus mare,
Vento qui adeſt, eo neceſſe eſt currere.

AD LVDOVICVM INDERHELL.

VT me conuenias meis in hortis,
Adducaſq; ſimul tuos amores
Iſthoc veſpere, te volo rogatum.
Facturi quid? ais: deambulando,
Spectando, varieq; colloquendo
Prætermittere temporis iuuabit
Partem, poſt recreabimus globorum
Iactu corpora, ſi lubebit, vnus
Intercedet & alter hauſtus, at non
Quales tu dare mi ſoles, deorum
Qui nectar referunt bono ſapore.

Dein

Dein cænabimus, at nec hoc amice
Illo more tuo, cupediorum
Nullæ hic delitiæ, dapes inemptæ,
Opes ſcilicet hortuli feracis
Apponentur, iis ouilla forſan
Inaſſata veru caro, recenſq́;
Gallinæ ſoboles, rubenſq́; cancer
Accedent: ita nec Lucullus ipſe
Excepit, reor, hoſpites cupitos.
At heus mi Ludouice, delicatum
Adhuc quid ſupereſt, tuo palato
Aptum, nec ſtomacho malum futurum.
Nimirum petaſunculus, nigroq́;
Indurata diu bouina lingua
Fumo: quid mage nunc precor requiras?
Vorent ambroſiam dij deæq́;
Dum nobis epulæ parentur iſtæ.
Vnum te peto, ne domi relinquas
Nullus cum mihi ſit lepus, lepores.

AD BERNARDINVM BALDINVM, *Mediolani Philoſophum & Poëtam inſignem.*

IPſe tibi quamuis paruus videaris, & ipſe
 Omnia quæ tua ſunt eſſe puſilla putas.
Bernardine aliter mea me ſententia ducit,
 Magnus es, & magno maior Ariſtotele.

Non

Non, quòd per Sophiæ præcepta retrusa vagatѕ
Causas cur fiant illa vel illa scias.
Non, quòd Virgilio, Nasoni, quodq; Catullo
Par, variis pangas carmina tersa modis,
Non, quòd virtutis semper cumulata cupido,
Atq; tenax viuæ sit tibi laudis amor:
Sed quòd, cum tua sint (te Bernardine fatente)
Omnia parua, feras omnia magno animo.

DE DIVERSITATE MVLIERVM

Iambi senarij, ex Græco Simonidis conuersi, in nuptiis Georgij Leonardi Stotzingij, Ruperti filij.

PERIOCHA IAMBORVM.

NOn vnū ingenium, mores non fecit eosdē
Fœmineo generi prouidus ille Deus.
Esue pars nata est lutulenta, pars cane sæuo,
Huic vulpes fallax, huic pigra terra parens.
Produxit dubium mare quandam, durus asellus
Quandam, mustella creditur illa sata.
Illi ortum dedit acer equus, pulchreq; iubatus,
Est quoq; quam turpis simia progenuit.
Proueniunt aliæ cura Iouis omnipotentis
Ex ape solerti, queis nihil est melius.
Cui venit in thalamum tali de stirpe creata
Felices inter cur numeretur habet.

MEntem seorsum fœminæ dedit Deus,
Rigente setis fecit aliquam de sue,
Cui cuncta cœno per domum inquinata sunt,
Humiq; prouoluta pigro horrent situ
Illota squalet ipsa, vestis sordida est,
Et stercori insidens, sagina diffluit.

E vulpe procreauit aliam callida,
Quæ cuncta vafrè scit, nec ignorat boni
Quicquam, maliuè, & sæpius se item bonam
Præbet, malamq; rursus, ac pro tempore
Locoq; varians induit mores nouos.

Plures parente prodierunt ex cane,
Cui quippe maledicentia sunt proxumæ:
Audire quiduis, nosse quiduis hæ volunt,
Hinc inde oberrant, & retorquent lumina,
Latrantq; neminem licet conspexerint.
Istas mariti nec minis compescere
Queunt, nec irati si eis eliserint
Dentes lapide, nil verba prosunt lenia,
Verenda nil præsentia hospitum iuuat,
Sed clamat vsq; pertinax & litigat.
Tellure formatas dedere coniuges
Quasdam perenni incommodo viris dij.
Nam nec mali, nec quidpiam callent boni,
Curare ventrem primus illis est labor,
Et dura quando bruma terris incubat
Frigent, propius & ad focum sellam trahunt.

Nunc

Nunc editam consideremus æquore,
Hæc ridet interdum, iocatur, lusitat,
Ita vt videntes hospites illam domi
Laudent, & omnium esse dicant optumam:
Contra sed interdum nequit tractarier,
Difficilis aspectu, atq; nulli affabilis,
Tunc, ceu canis circa suos catulos, furit,
Vt appropinquare haud cui sit integrum.
Infensa pariter atq; dura est omnibus,
Amicus, aut sit hostis interest parum.
Natura tali fœminæ est vna & mari:
Nam sicut istud nunc quiescit fluctibus
Minisq; positis, gaudium ingens nauitis
Ferens per æstiuos dies, rursusq; nunc
Tristi procella surgit, & cuncta obruit,
Sic illa mobilis sibi haud constat diu.
E cinere constituta, dossuario
Et ex asello, vix minis compellitur
Ac vi, faciat vt id viro quod complacet,
Sed interim nocte & die furtim vorat,
Cibisq; raptis è foco se ingurgitat.
Ad veneris autem pronior libidinem
Quemuis amicum ventitantem suscipit.
Prouenit ex mustela aliud iners genus
Miserumq; tristeq;, & leporis cui nihil
Iocunditatis nil inest, nec gratiæ,
Sed à iocis abhorret ac complexibus,
Præsens ei maritus est fastidio,

Furtisq;

Furtiſq; multa damna vicinis facit,
Quin hoſtias nondum immolatas ingerit.
Equo à iubato traxit alia originem,
Laborem & opera negligens ſeruilia:
Nam nec molam tangit, cribrum nec ſuſtinet,
Sordes nec vnquam proijcit domus foras,
Furno nec aſsidet nigram fuliginem
Timens, virum non ſponte ſed coacta amat.
Aſt ſe bis aut ter in die lauat, fricat,
Suaui liquore membra tingit mollia.
Comas polité ſemper ornatas gerit,
Denſaſq; obumbrataſq; blandis floribus.
Vxor profectò talis eſt ſpectaculum
Alijs venuſtum, at eſt habenti noxia,
Ni rex ſit aut princeps aliquis, eiuſmodi
Qui rebus oblectetur atq; gaudeat.
Creauit omnium malorum maximum
De ſimia Deus maritis coniugem.
Spectanda vultu namq; turpi & horrido
Vadit per vrbem, & omnibus ludibrio eſt,
Tam parua, vix ceruice vt inflecti queat,
Succo carens, exilis, ó miſerum virum
Hoc qui malum infortuniumq; amplectitur.
Commenta varia nouit, & par ſimiæ
Imitatur hos illoſq; mores, tetrica
Riſu abſtinet, nec demeretur quempiam
Beneficio, ſed illud vnum cogitat,
Vt edat ingens aliquod & dirum ſcelus.

At ex apicula quiſquis ortam coniugem
Ducit, quater beatus eſt & amplius.
Hæc ſola reprehenſione non eget,
Illius arte ſiquidem & ſolertia
Augmen ſubinde res familiaris capit.
Amans amato conſeneſcit cùm viro,
Prolemq; pulchram nobilemq; enititur.
Decore præſtat inter omnes cæteras
Perfuſa deſcendente cælo gratia,
Conuenticula cætusq; ſpernit improbos,
Nec præbet aures turpibus ſermonibus.
Id generis vxores maritis Iuppiter
Largitur altus, ſingulari ſcilicet
Virtute præſtantes, ſagaces, prouidas.

AD LAVRENTIVM NVRN-*bergerum.*

IAm toties ſupplex te Nurnbergere rogaui,
Dignere vt facilis rebus adeſſe meis.
Tu promiſiſti nil certi, nilq; negaſti,
Sed me ſuſpenſum ſpeq; metuq; tenes.
Iuppiter aſsidua gaudet prece, ſubtrahit aures
Ignauis, nec opem fert niſi ſæpe rogent.
Sic tu Nurnbergere cupis ſine fine rogari:
Quàm bene diuiſum cum Ioue numen habes.
At Ioue quò maior mihi ſis, precor annue noſtris
Iam tandem votis, nec mage differ opus.

AD APOLLONIVM MENABENVM *Medicum Italum.*

QVód me Baldinus iucundis versibus ornat,
Baldinus patrij gloria rara soli,
Tu Menabene facis, tu longo dissita tractu
Corpora, prædulci nectis amicitia,
Nectis et ingenia, atq; animos, licet impare nexu,
Ad tanti quid enim numina vatis ego?
Vt tamen vt res sit, mihi multum gaudeo, grates
Et tibi quas possum soluere, soluo lubens.
Artis Apollineæ decus ó columenq;, reliquit
Ipse cui nomen doctus Apollo suum.
Tum, quæ fama meis crescit te auctore Camænis
Faxo ad te redeat, sit mea lausq; tua.

In pessimam mulierem.

Ira, odium, liuor, linguæ petulantia, lites,
Inq; homines cunctos inq; deos rabies.
Hæc si laudatam faciunt celebremq; maritam,
Fœmineo generi tu rapis omne decus.

AD CHRISTOPHORVM *Schallnbergerum.*

TAnta tuos numeros circundat gratia, tãtus
Schallnpergere tuo manat ab ore lepos.

Vt te Pierias inter vixiſſe puellas
Montibus in ſacris tempora tota putem.
Fallor an à reſono nomen quoq; monte tuliſti,
Siue ſit ille biceps vertice, ſiue Helicon?
Tu certè ſuaui reſonantia carmina voce
Fundis, & eſt Echo ſemper amica tibi.
Quàm perſæpe ſuis reſpondent nomina rebus,
Et quàm non rarus nomen & omen habet.
Perge chely arguta, plectroq; implere canoro
Schallnpergere orbem dulcibus atq; ſonis.
Præmia erunt natæ frondes Heliconis in vmbras
Vix maiora queunt Monsq; Sonuſq; dare.

Ad eundem.

Schalnpergere quid hoc? tu carmina plūbea reddis
Aurea? quis vatem te neget eſſe bonū?

In obitum cuiuſdam magni nominis viri.

Vixiſti multos diueſq; potenſq; per annos,
Viſus es ingenio conſilijſq; bonus.
Qui fit, conueniens quod nullus poſsit haberi
Quo tua condantur mortua membra locus?
Scilicet haud vnquam ſubijt tibi mortis imago,
Et ſpes, te ſemper viuere poſſe, fuit.
O ſpem fallacē, quid enim vel opes vel honores
Mors curat? tumulo nemo carere poteſt.
Deſpice mortalis mortalia, ſuſpice cæli
Quæ ſunt; hæc ſaluant, interitum illa ferunt.

AD IOHAN. MVSAELIVM PHILOsophiæ & Medicinæ Doctorem.

MVsæli Musæ cui nomen suaue dederunt,
Phœbus doctrinam, nata Ioue ingeniũ,
Quid facis hoc æstu quem sæua canicula fundit?
Vtq; vales, multos non mihi vise dies?
Viribus exhaustum me febris torquet acuta,
Et cruciat rabida nocte dieq; siti.
Visere quòd si me properes, si me arte iuuares
Consilioq; tuo, res mihi grata foret.
Cur facias causæ sat habes: nam me quoq; Mũsæ
Norunt, Phœbus amat, Pallas amica fouet.
Quid? nonnè ingenuo nos quondã iunxit amore
Virtutum felix vrbs Patauina parens?
Ergo age, ni peregrè sis forsan ab vrbe profect⁹,
Ad me curre, vola, ferq; potenter opem.
Non frustra hanc sumes curam, faciesuè laborẽ,
Accipies merito præmia digna tuo.

AD VICTOREM AB ALTHAM, Lib. Bar. & S. Archid. Ernesti &c. dapiferum.

INter honoratos Barones non modò clarum
Nomen habes, generis flosculе grate tui:
Sed quoq; Pierios cultores inter haberis
Magnus, & egregium sumis ab arte decus.

Hinc intertexunt hederam laurumq́; puellæ
Aoniæ capiti, serta decora, tuo.
Spe stabili, fore te quondam maioribus annis,
Nutantis patriæ præsidium atq; decus.
Quod fieri vt poſsit communi voce precamur:
Nam res non aliam publica poſcit opem.

In quendam habentem cognomen à damno.

Diceris à damno non frustrà: vanus, auarus,
Nil nisi verba soles, nil nisi damna dare.

In quendam militibus præfectum.

Armatum nunquam vidiſti, sed nec inermem
Hostem: tune Ducis munus obire queas?
Sunt aliud, lusus, choreæ, luxusq́; superbus:
His ego te statuo (sint procul arma) Ducem.

AD IOSEPHVM SIGHARTERVM &c.
Cæs. Mai. in excelso regimine Aust. inferioris Consiliarium.

Sighartere statu qui gaudet cælibe, castum
Et simul in puro corpore pectus alit,
Ille choro superum longè est gratiſsimus: ipsi
Nam pariter gaudent virginitate dij.
Ante alios Musis placet ille, & Palladi, munda
Quæ cupiunt animi simplicitate coli.

Ille etiam luxum fugiens fastumq́, beato
Virtutum studio tempora tota terit.
Noctes atq; dies meditatur mente, iuuare
Res patriæ dubias qua ratione queat.
Degeneres procul ite, quibus cura vnica ventris
Ingluuies rabidi est, pestis acerba hominum.
Te similesq́ tui volo SIGHARTERE, meretur
Quorum virginitas nota perenne decus.
Tu patriæ prodes, virtutem amplecteris, artes
Excolis ingenuas, dijs probitate places.
Macte animo generose tuo, tibi panditur æther:
Tardius vt tamen hoc suscipiare, precor.

In quendam exterum.

A sale nomen habes, defendis sed malè nomen:
Nil magis insulsum te, tua terra tulit.

AD IOHAN. POLTZIVM, CAES. *Mt. &c. libellorum supp, in Cam. Aul. expeditorem.*

De medici & poëtæ præstantia.

Quis melior, medic9 vel vates? grat9 vterq;
Est Clario, hic succis, cantibus ille deo.
Corpora restituit medicus languentia, vitam
Sæpe etiam ad multos protrahit vsq; dies.
At vates animi curans vitia insita, dignum
Laude virum nullo tempore obire sinit.

Corpore quãtũ animus pręstat, tantũ quoq; va-
Eſt melior (Poltziuera loquor) medico. (tes

AD PAVLVM REVCHELIVM
I. V. D. &c.

QVid tibi cũ fumo, Reucheli, nomẽ ab illo
Quod ducas? fumo proxima flãma ſubeſt.
Scilicet euitas ſtudio virtutis & arte
Palladia, tibi quæ forte nocere queant.
Fumo conſpecto, vicinum protinus ignem
Vir metuit ſapiens, & cita tela parat.
Sic vitanda mali prius eſt occaſio, vt ipſum
Vitari poſsit, non ſine fruge, malum.

EPITHALAMIVM NOVIS SPONSIS
Iacobo Granauer à Granau, & Reginæ Sicelia.

HVc huc ô Veneres Cupidineſq;
Huc huc ô Charites, Ioci, Lepores,
Et tu pronuba Iuno, adeſte, adeſte
Cum Phæbo ſimul ô nouem puellæ
Meæ delitiæ, meiq; amores.
Adſis tu quoq; qui graues querelas
Et curas tetricas potenter arces
Dulcis ô Semeles Iouiſq; proles,
Toto te fruimur libenter anno,

Aeſtiuis

AEstiuis tamen es magis diebus
(Aut sensu careo poëta) gratus,
Tunc cum cuncta siti premuntur acri,
Summo Sirius & furit calore.
Potent Thraces aquam seueriores,
Et mens præterea quibus profana est,
Ad nostrum facit illa nil cerebrum.
Fallor, an veniunt vocata, & adsunt
Iam tot numina? Dij deæq; (magni
Non paruum inditium fauoris hoc est)
Saluete ô mihi ter quaterq;, o doras
I fer Nisa rosas, amaracum fer
Suauem, lilia iunge, iunge Nardi
Spicas: non habet hortulus superbam
Laurum, non hederam meus virentem,
Frondens myrtus abest, abestq; cedrus.
Nostri pauperis adfer i corollas
Fundi, queis caput elegans obumbrent.
Bacchum pampinus integat nouella.
Quid iam nunc? peragenda tota nobis
Hæc dies erit & futura lusu
Risu, blanditijs. iocis, choreis,
Curandus genius bonos sodales
Inter, inter & optimos amicos.
IACOBVS celebrat iugale sacrum
GRANAVER, iuuenis probus, modestus,
Multa præditus arte, multo & vsu,
Sacri Cæsaris haud malus minister.

Eia Dijq; deæq; non grauatim:
Mecum tecta nouæ subite sponsæ.
Hæc pompa insolita est; procul facessant
Hinc duces, dominiq;, satrapæq;.
En quàm fronte serena & expolita
Sese sponsa dat obuiam, quis esse
Vnam de supera neget caterua?
Quim Venus, Charites, & ipsa Iuno
REGINAM statuunt eam vocantq;.
Par est nam Veneri decore formæ,
AEquat tergeminas deas bonorum
Et dulcedine gratiaq; morum.
Maiestate Tonantis esset vxor,
Si vellet, decima esset & Camæna.
Captus lumine ni foret Cupido,
Hanc solam sibi diceret parentem.
Phæbus esse suam velit sororem,
Inter sidera poneret Lyæus.
O IACOBE tua beate sponsa
REGINAq;, nihil nisi quod ipse
Sis rex restat, ades nouum maritum
Te & regem faciet Dei sacerdos.
Sponsæ porrige dexteram annulumq;,
Constantissima signa coniugalis
Nexus, perpetuiq; vincla amoris,
Tantundem tibi porrigat puella,
Factum: dij bene rem deæq; vertant,
Nunc ò nunc resonent fides canoræ,

Plausus compleat altus omne tectum,
Regnet larga Ceres suoq; Liber
Præsto munere sit scyphos frequentes
Miscens, puluereas agant choreas
Alterno pede fœminæ viriq;
Pulsantes leuiter solum, querelæ
Curæ, sollicitudinesq; longè
Absint, iurgia sint procul, proteruæ
Sint rixæ procul, & cruenta bella.
Pacem pacificus status requirit.
Sed nox ingruit en profunda, somnos
Et victi repetunt leues ocelli,
Sponsus iam parat ingredi cubile,
Et se posse diutius morari
Dudum sponsa negat, mora est molesta:
Heus Phœbe, atque nouem Deæ sinamus
Iam nunc hos, abeamus: hic manere
Sed possunt Veneres, Cupidinesq;,
Possunt & Charites, Ioci, Lepores,
Et tu Iuno potes, latere Bacchus
Si qua parte volet madens seorsim,
Esto: cætera Sponsus atq; Sponsa
Curabunt, quibus ore comprecamur
Vno omnes thalamum diu vigentem,
Fœcundum, placidum, Deoque gratum.

IOCVS AD VLRICVM REITERVM
Aerarij bellici Vicarium.

Non

Non modò nomine eques, sed re quoq; diceris ipsa:
Namq; soles nitidũ pascere semper equum.
Sed malè defendis (vox est hæc inter amicos
Nota frequensq;) tuum nomen, agisq; aliud:
Curita? quòd iuuenis nitidus, florentibus annis
Non quæras thalami gaudia, vectus equo.
Gaudia quæ nemo poßit prohibere, maritam
Nimirum, sine qua non bene vita fluit.
Hæc illi: sed ego diuersum sentio, nuptam
Qui cupit, hic tacitus res agat atq; pedes.
Est etenim stulti tota discurrere in vrbe
Hinnitu & strepitu subsilientis equi.
Quære pedes vitæ sociam tibi, crimine nullo
Tunc vti poteris, quando libebit, equo.

AD PHAEBVM.

Phębe p hos orbes vitreos qũi lumina fun-
Clara tui iubaris, das adimisq; diem. (dis
Offundas pariter nostris, rogo, versibus illum
Splendorem, sine quo carmen honore caret.
Phæbus vtrumq; potes: te non præsente sonorã
Tangere qui cytharam nititur, ille nigris
In tenebris versat, cæca & caligine mentis,
Auribus ille canit carmina digna Midæ.
Si bene quid de te merui, iustißime Phæbe,
Ne me, ne versus desere quæso meos.

In quendam Thrasonem.

Miraris magnumq; putas tot bella, tot inter
Confertas acies te cecidisse minus.
Esse aliquid concedo, nihil sed miror: inepta
Nam belli arridet victima nulla deo.
Militis ille boni nomen laudemq; tuetur
Fortiter aduersi qui cadit ense viri.

In eundem.

Præcipites iras nimio confusus Iaccho
Colligis, ac subitæ vis dare quemq; neci.
Sobrius imbelli multò es mansuetior agna,
Nec tibi succurrunt fortia verba magis.
Esse aliquid si vis, aut inter pocula mitis.
Strenuus aut nullo sis aliquando mero.

AD SAMVELEM POLNERVM *Silesium.*

CVr toties sit in ore meo, PATIENTIA, si vis
Scire, tibi sociam iunge (sciesq;) thori.

IN FVNERE SERENISSIMI PRINcipis Caroli Archiducis Austriæ, Styriæ, Carinthiæ & Carniolæ &c.

CArolus occubuit lustris bis quinq; peractis:
Relligio & Pietas flēt, grauiterq; gemūt.
Non

Non, malè quod cũ illo sit factũ, Principe tanto
Tamq; bono, cælos & sibi qui asseruit:
Sed quòd passuras se tristia multa, Patrono
Tam fido ablato, (iusta querela) putent.
His animos addit Spes immortalis, & ipsa
Quantumuis doleat, talia verba facit,
Hæc quorsũ lachrymæ? quorsum hæc lamẽta sorores
An vestra est vllo sors peritura die?
Fidite, restat adhuc non vnus Principis hæres,
Austriacæ stirpis germina pulchra virent.
Horum præsidio (sic stat sententia Diuum)
Tutæ erimus, quicquid turba profana parет.
His dictis, sacram spargentes Principis vrnam
Flumine lustrali, sic placido ore canunt:
Carolus à recto diflectens tramite nunquam,
Rimatus vitæ est nobilioris iter,
Hanc etiã obtinuit post fata nouissima: iunctus
Namq; Deo æterna vescitur ambrosia.

IN OBITV MICHAELIS TEVFELII
Lib. Bar. & S. Archid. Ernesti &c. Cubicularij.

ET te virtutemq; tuam mors æmula nobis
Inuidet: ah nimis ah hinc properãter abis.
Clade tua Princeps luget pius, indolet aula,
Et multi lacrymas vix cohibere queunt.

Ingeminant Musæ suspiria tristia, quarum
Patronus toto tempore fidus eras.
Eripuit festina quidem Clotho tibi vitam,
Sed meriti famam secula nulla adiment.

Iuuandi inopes.

Est hominis magni, posse & non velle nocere,
Maior at ille, inopem qui fouet atq; iuuat.

COMPARATIO MERCATORIS IN *mari periclitantis, cum muliere partu laborante.*

AD CAROL. STREDELIVM V. I. D. *& Cæs. Mai. Consil. &c.*

MErcator mare permeans apertum,
Sæuis quum Boreas furit procellis
Improuisus, & impetens carinam
Iam vectoribus anxijs minatur
Præsens naufragium, necemq; certam,
Mihi pol similis videtur esse
Nuptæ parturienti, & inuocanti
Cæli numina: nam velut mariti
Amplexus ea damnat, execratur,
Et se nolle magis quod ante fecit
Imprudens, facere vsq; & vsq; iurat.
Post partum tamen, & graues querelas
Obliuiscitur omnium dolorum,
Blanditurq; velut prius marito.
Sic ille (heu varias vices) deorum
Implorata ope, nauigationem

Prorſus deuouet, AEoli miniſtros
Infidos vocat, æquor æquoriſq;
Deteſtatur opes, ratem nec vnquam
Se conſcendere velle pollicetur:
At poſtquam facies redit ſerena
Neptunno, Zephyruſq; ſpirat ore
Optatus placido, immemor priorum
Malorum, mare rurſus intrat audax,
Et nil dulcius eſſe quàm lucellum
Quæſitum pelago putat remenſo.

MATTHAEO IVDICI PHILOSOphiæ & Medic. Doctori.

INuaſiſſe meos febrim crudeliter artus
Meq; prope exanimem triſtia multa pati,
Audierat Iudex, medica clariſsimus arte,
Iudicio præſtans, conſilioq;, bonus.
Protinus accurrens igitur cauſaſq; notaſq;
Explorat tanti dextera & ore mali.
Vt rem comperijt ſubiti plenam eſſe pericli,
Non impune feres impia febris ait.
Nil tibi cum ſacro vate eſt, diuinus alumnos
Per me ſeruari geſtit Apollo ſuos.
Dixit, & attonitam febrim medicamine fuſo
Subtractoq; malo ſanguine abire iubet.
Aſt ego: non Phœbi te Iudex eſſe miniſtrum,
Ipſum ſed reor hac dexteritate Deum.

Grates reddo etiam, si non quas debeo, saltem
Quas possum, & rerum conditio arcta sinit.

AD AMPLISSIMVM SENATVM
Viennen: de magno terræmotu, qui 15. Septemb. An. 90. circa mediam noctem, horrendè vrbem concußit.

HEi mihi quid subitus sibi vult tremor iste fragorq́ue?
An caput in nostrum terra polusq́ue ruunt?
Templorum conuulsa cadunt fastigia, turres
Æquantur lapsu præcipitante solo.
Nulla domus, paries nullus spectatur in vrbe
Qui rimis careat, qui careatq́ue minis.
Intra nemo putat se tutum mænia, in hortos
Inq́ue agros fugiunt fæmina virq́ue metu.
Scilicet impatiens mortales mille nefandis
Immersos vicijs territat ira Dei.
Et monet, vt scelerum purgatis sordibus almæ
Iustitiæ peragant & Pietatis opus.
Si secus, haud aliud restat, quàm terra dehiscens
Vt rapiat miseros ima sub antra stygis.
Ah Deus in scythicos pœnā hāc cōuerte tyrānos,
Placatusq́ue tuo des veniam populo.

AD IOHANN. HVETSTOCKERVM,
Patricium & Senatorem Crembsæ.

HVerstockere quibus cœlo te laudib⁹ æquêς
Exuperas meritis carmina quæq; tuis.
Est aliquid, genus antiquum, res ampla, per artes
Et quondam ingenuas excoluisse animum.
Consilio patriam sed plurima lustra iuuare,
Primum inter ciues semper habere locum.
Tam variam sobolē, sine qua Respublica lāguet,
Tamq; bonā casto progenuisse thoro.
Natos natorum blandis amplectier vlnis,
Hæc sunt quæ paucis fata benigna ferunt.
Gaude igitur venerande senex, tua fama superstes
Non secus ac Pilij, stabit in orbe diu.

AD SERENISS. ARCHID. ERNESTVM &c.
in Styriam circa finem Septemb. proficiscentem.

VNo sic igitur sua lumina tempore condunt
ERNESTVS Princeps diu⁹, Apollo sacer?
Longius à nostro sic se subducit vterque
Aspectu, & tenebras fundit vterq; pares?
Hic orbem nostrum, nostram alter deserit vrbē:
O rerum tristem luctiferumq; statum.
An quod numē idē est vtriq;, eademq; potestas,
Exhilarans reditus, tristificusq; abitus?
Quicquid id est, vultus tu saltem Erneste serenos
Quamprimum referas, nubila & atra fuges.
Absentem melius Phæbum tolerabimus: eius
Nam potes interea tu variare vices.

AD HIERONYMVM PANCKELIVM
Cæſ. Mai. &c. Handgrafium Viennæ.

LAEtor, ex animoq́; lætor imo,
Panckeli, tibi quòd nouum fauore
Munus Cæſareo datum ſit, amplos
Et dignos meritis tuis honores
Quòd tandem capias, & augeas rem.
Næ tu mitior aptiorq́; longè
Eris, quàm tuus anteceſſor ille,
Toto corpore qui tumet ſagina,
Qui tantum ſibi natus, & Thaliæ
Eſt infenſus, & inclitæ Mineruæ.
Non tu damna dabis, dabiſq́; verba,
Quamuis non dederis ſubinde nummos,
Sunt præſto nec enim ſubinde nummi.
O quantum recreant fouent iuuantq́;
Fuci neſcia mens, loquela ſimplex.
Cæpiſti bene, cæpta dij ſecundent,
Et perges benè, laus ſequetur ingens.
Et finem facies bonum, probabit
Cæſar, præmia Iuppiter rependet.

AD MATTHIAM BARANITCH
Cæſareum miniſtrum, Ex Sophocle.

NIl aliud quotquot vitali veſcimur aura
Quã quẽdã ſimulacra, & leuis ũbra ſum⁹.

 His

His animo bene versatis, caue dixeris vllum
In superos verbum corde tumente deos.
Præterea omnem alium fastum vitare memento,
Præ reliquis fortis sis licet aut locuples.
Iuppiter extollens quæ sunt deiecta, resistit
Elatis, altum nec sinit vt sapiant.

Ad amicum abstemium.

Cur tibi deformis nunquam migraret ab ore
Pallor, & à gracili corpore squalor iners,
Mirabar, fatere hoc dominæ fastumq; putabam,
(Torquet enim miserè durus & asper amor)
Aut te aliquo raptum morbo languere latenti,
(Nam tibi cum docta Palladis arte nihil)
At postquam didici, neglecto munere Bacchi,
Te solas aluo condere semper aquas.
Miratus mage sum, quòd non è corpore sensim
Migraret tanta incommoditate anima.
Heu Lucina tibi nascenti quàm malè fauit,
Fors aliquo magno crimine læsa fuit.
Quicquid id est, valeant vndæ: mihi tēpore toto
Perspicuis spumēt limpida vina scyphis.

AD ERNESTVM A MOLAR LIBErum Baronem, & Sereniß. Archid. ERNESTI &c. Cubiculo præfectum.

Prin-

PRincipis eximium nota virtute fideq;
Quisquis fauorem promeretur, tu velut
Erneste, ERNESTI, decus aulæ & gloria prima,
Est iure fortunatus inter aulicos.
Aula etenim vicio hoc plerumq; laborat, vt altū
Honoris ad gradum immerentes euehat.
Ast tibi digna dari nequeunt sat præmia, quāuis
Det multa liberalis ac Princeps bonus.
Felix es tali domino, tali quoq; felix
Dominus ministro est: alter alterum beat.

In sponsum senem, & sponsam iuuenem.

Ah virgo infelix, qui te grauis error habebat
Cum talem arderes tam stolidumq; senem?
Auspicijs non Iuno tuis, non missus olympo
Adfuit almus Amor, nec venerata Venus:
Sed diræ Eumenides, tristi Discordia vultu,
Cum cane tergemino terribilisq; Charon.
Quū thalamū sponsi nuper noua sponsa subires
Ingemuit tectis stryx violenta tuis.
Danubij Nymphæ mæstum cepere dolorem,
Nec Dryades lacrymas continuere suas.
Mille tua iuuenes turbati clade, fuisset
Clamarunt, alio hæc digna marita viro.
Connubio quid enim liceat sperare sub isto
Vel tibi, vel sponso? nil nisi triste malum.
Iungantur vetulisq; senes iuuenesq; puellis,
Inter inæquales gratia nulla coit.

EX PAENVLO PLAVTI AD *Michaelem Lindauerum.*

QVi parare sibi negociorum
Molem, vimq́; velet molestiarum,
Is sibi hæc duo comparato, nauem
Fæminamq́; : duæ negotij plus
Nullæ res faciunt molestiæq́;.

IOCVS AD CHRISTOPHORVM *Meirichium &c.*

VT tecum prandere velim me sæpius oras,
Sæpe etiã tecũ prandeo Christophore.
Instructa est varijs dapibus tua mensa, lepores
Adsunt & risus, compositiq́; sales.
Cuncta placent, vnam rẽ præter : pocula nempe
Quòd tam vasta, mero tamq́; referta bibis.
Quodq́; tuos verbis conuiuas mollibus vrges,
Vt magnos siccent, tu velut ipse, scyphos.
Nõ mihi vina sitim minuũt tua, sed magis augẽt:
Aret enim posthac tres mea lingua dies.

EPITAPH. ANDREAE KIELMANNO, *Cæs. Mai. &c. à Cons. bellicis, & delecto supremo Capitaneo Iauriensi.*

Tempore

TEmpore qui belli, qui pacis tẽpore præſtãs
Corporis atq; animi dotibus vſq; fuit.
Andreas Kielmanus humo requieſcit in iſta :
Heroem tantum tam breue marmor habet.
Ille per has mundi partes iactatus & illas
Bellator, palmam ſemper ab hoſte tulit.
Pannonicos intra fines, dux inclitus, arma
Atq; inter Thracum barbara conſenuit.
Quantum conſilio polleret, acumine quantum
Ingenij, Cæſar Cæſareiq; ſciunt.
Mars illi & Pallas ſtatuunt æterna trophæa,
Corpore ne lapſo gloria parta cadat.

AD IOHANNEM HVETSTOCKERVM
patricium & Senatorem Viennen.

FVlcra ſunt duo maximè, quibus Res
Omnis publica, cuncta regna niti
(Velint ſalua diu modò eſſe) debent.
Vnum, principis æquè & optimatum
In ciues tolerabilis poteſtas
Rectumq; imperium : alterum, fidele,
Conſtans obſequiumq; ſubditorum
Regem erga, proceres & imperantes.
Tollas ſi alterutrum, velut neceſſe eſt
Noſtram protinus interire vitam,
Si præſtare animus recuſet æger

Corpori imperium, neg tuc corpus
Contumax animi iugum ſubire.
Huetſtockere, ita publicum neceſſe eſt
Statum deficere, & pati ruinam.

AD FRAN. ARCONATVM FRA-
trem de ſe & roſis ſuis autumnalibus.

CVrroſa multa meo paſsim naſcatur in horto,
Et circũ ſurgat gramen vbiq; nouũ.
Cauſa ſubeſt: facit hoc curarum maximus æſtus,
Pectore qui noſtro nocte dieq; furit.
Et facit hoc ingens lacrymarum flumen, ocellis
De noſtris, nullo fine, quod vſque ruit.
Hæc commiſta duo inſolitos producere flores
Poſſunt, ali poſſent vota replere mea.

ELISABETHAE MATRI SEXAGE-
nariæ, Vratislauiæ pie defunctæ.

ERgo etiã tandẽ genitrix longæua, per annos
Iam prope bis ſenos non mihi viſa iaces?
Sic tibi per tria luſtra thori conſorte carenti
Noluit infida parcere Parca manu?
Ah ſacro cineri tumulum quem conſtruat abſens
Natus, quem titulum ponat, amata parens?
Sit tibi pro titulo pietas tua, ſint mea corda
Pro tumulo: æternum his condecorata vale.

AD

AD LAVRENTIVM NVRNBERGErum, & Henricum Nickardum, compatres suos, de rosis autumnalibus sui horti, & filiolo sibi recens nato.

PEr totum niueas rosas rubrasq;
Octobrem vacuis renasci in hortis
Hac nostra regione, res profectò
Esse mira videtur, insolensq;.
Nascuntur tamen, en videte, habete,
Vernis non secus ac solent diebus.
Est natiuus odor, colorq; viuus
Illis, est foliorum amænus ordo.
Alternatio quicquid ista nobis,
Portendat (bene dij deæq; vertant)
Fætu tam insolitè meum per hortum
Creto lætor: at est benigni amici
Et semper mihi compatres colendi
Multò quid melius, magisq; rarum
Quod me lætitia afficit perenni,
Turbatam recreat subinde mentem,
Et solatiolum feret senectæ
Olim grande meæ, seuera Clotho
In viuis modò me sinat manere.
Germen scilicet illud expetitum,
Pulcher flosculus ille, quem marita
Paucos ante dies mea, annuente

Est enixa Deo, tenellus inquam
Ille infans, opera fideq; vestra,
Per solennia verba, per liquorem
Sacrum Christicolas relatus inter.
Faxint dij superi, & secunda fata,
Non vnum queat alterumue mensem,
Annum vel medium, integrumue saltem
Vt florere, velut rosæ caducæ,
Saluus incolumisq;, sed parente
Cum chara numerare multa lustra.
Faxint vt quoq; vos benigni amici
Et semper mihi compatres colendi
Longa tempora & ociosa vitæ
Possitis superare, mente semper
Sani & corpore, nulliusq; egentes.

AD MARTINVM GHESELIVM V. I. D. *&c. ex rythmis Italicis.*

IN numerum ponis Solem Lunamq; deorum,
Atq; Elementa deos docte Epicharme facis.
Ast ego dico deos Aurũ Argentumq; benignos,
Et qui vota hominum cuncta replere queãt.
Hi tecum si habitent, tibi vasa superba ministrãt,
Dant hortos, agros, prædia, quicquid aues.
Conciliant seruos & amicos: quin, mihi crede,
Si dones larga munera forte manu,

Ad

Ad nutum tibi erunt Iudex, testesq; parati,
Mox ipsi afficient te quoq; honore dij.

AD SACRATISS. CAESAREM RVDOLPHVM II. *pium, pacificum, & felicem.*

De induciis cum Turcarum Imperatore recenter innouatis.

EX quo sceptra geris Rudolphe sacri
Inuicta Imperij, tuoq; regna
Nutu cætera prouidè gubernas,
In nostris laribus fuit beata
Semper pax, fuit ocium cupitum,
Et secura quies, procul Gradiui
Armorum strepitus mali fuere.
Tutæ Danubij deæ, propinqui
Dirum non timuere fulmen hostis.
Pacata omnia tu tua Rudolphe
Virtute & sapientia subinde
Fecisti, facis atq; nunc, tyranno
Qui cùm barbarico innouas futuros
Pacis fœdera firmiora in annos.
Artes vnde vigent vbiq; doctæ,
Pallas inclita cum nouem deabus
Efflorect studio elegantiori.
Audax seminat & metit colonus
Terra luxuriante, fert referq;

Merces fœnore mutuo, ſagaci
Mente prœditus inſtitor, per vrbes
Arces, oppida, rura, perq; pagos
Res augetur, opeſq; congregantur:
O CAESAR PATRIAE PATER, fatenti
Hoc concede libens, pudor ſerenæ
Admittat rogo frontis, vnus iſthoc
Quod nobis facis, ocio, hac quiete
Præſtas plura, mereris atq; laudes
Maiores, ſtatuas, trophæa, & arcus,
Quàm quotquot ſacra ſceptra, iam inde ab annis
AVGVSTI tenuere, amantis vt tu
Sanctæ pacis & otij beati.
Mundi maximus Imperator, auctor
Propugnator & altor vnionis,
Te ſeruare diu velit precamur
Nobis incolumemq; proſperumq;:
Te nam ſoſpite, te vigente, ſalui
Et nos, nulla pericla, nulla bella
Formidabimus, vſq; & vſq; tuti.

AD DAVIDEM VNGNAD,
Lib. Baronem &c.

RES belli tractas, pacis non negligis artes,
Hinc tibi Mars, illinc ornat Apollo caput.

AD

AD ILLVSTREM VVOLFGANGVM Rumpff, Liberum Baronem &c. Cæs. Mai. &c. à Consiliis secretioribus.

SI tibi fortè meas contingat cernere chartas,
Cæsaris ò diui pectus, ocelle, manus.
Pone supercilium, frontemq; assume serenam.
Non aliter cupiunt carmina nostra legi.
Mille tibi curæ, sunt mille negotia, quæ pro
Cæsare, pro patria fortiter vnus obis.
Seria cur miscere iocis VVolfgange recuses?
Iucunda alternis gratia rebus inest.
Fulminat interdũ, spargitq; per æthera nimbos
Iuppiter, & terræ viscera sæpe mouet.
Sæpe etiam roseo perfundit lumine mundum,
Exhilaratq; polum quicquid vtrumq; videt.
Cur nolis igitur nostro indulgere libello
Tu quoq;, cum placido gaudeat ore legi?
Sunt alij (dices) quorum me scripta fatigant:
Credo, fatigabunt sed puto, nostra parum.

AD GEORGIVM STRIGELIVM ABbatem Aedis Diuæ virginis apud Scotos.

ACcumulent alij feruentq; nepotibus aurũ,
Ventrisue mergãt in profundo gurgite.
Tu sumptus facis in templi ornamenta vetusti,
Nouasq; sacro construis censu domos.
Artes

Artes largus alis, Musas defendis, honore
Et eruditos afficis digno viros.
De te quid dicam Præsul venerande? quod auro
Pars magna cælum perdit, auro tu paras.

AD CASSIANVM PRVNkhoferum.

ÆGrotas pedibus, valesq; mente,
Es sanus satis, imo Cassiane
Non posses melius reor valere.

AD IOHANNEM PROSONACVM *Seren. Galliarum reginæ viduæ Secretarium.*

Nil vltra vires.

CVm quod potes præstare, præstas cuipiã,
Teq; is magis præstare quàm possis velit.
Meretur, vt nec illud illi quod potes
Præstare præstes: plura quàm possint Deus
Non ipse summus poscit à mortalibus.

AD MICHAELEM PVDLERVM SER. *Archid.* ERNESTI *&c. aulicum.*

ERgo aliud qũando mutata veste, animoq;,
Vitæ Michael ingredieris iter?

Iam

Iam satis extinctam luges cum prole maritam:
  Et iustum luctus debet habere modum.
Sunt aliæ, viduam seu malis, siue puellam,
  Quæ thalamum possunt exhilarare tuum.
Ex te quæ sobolem possunt generare, tueri
  Atq; augere pia sedulitate domum.
Amplius haud perdas socia sine cōiuge tempus:
  Quæ semel elapsa est hora, redire neqúit.
Læta fores pulsant iam Bacchanalia, quæ si
  Integra vis, nuptæ gaudia iunge nouæ.
Sacrificos Cybeles recreent sola orgia, toti
  Accedant Veneris sacra decora viro.

AD IOHANNEM RVLANDVM, IN *picturam quandam elegantem* Henrici Nickardi, *cuius inscriptio*

FALLAX SAEPE MVLIERIS GRATIA.

AVrū dat senior, iunior quoq; porrigit au-
  Delicias fallax fæmina vtriq; facit. (rū:
Huic à fronte, illi à tergo se monstrat amicam,
  Dextra seni, iuueni est prōpta sinistra manus.
Dic, vter obtineat partes in amore priores?
  Ambo dant cupidi, rursus vt accipiant.
Sunt sua (quis dubitet?) iuniori præmia certa:
  Sed puto laturum nil nisi verba se[illegible]m.

O facinus

O facinus: quas non contexit fæmina fraudes?
Quas non insidias perfidiosa struit?
Fæmineus fauor est incertus, gratia raró
Constans: qui sapit hic à muliere cauet.

In quendam.

Horas me malè collocare dicis
Cum Phæbi cytharam fidesq; tracto:
At quid tu facis, amphoras Iacchi
Cum noctem in mediam trahis bibendo?
Et vinum malè collocas & horas.

AD GEORGIVM LESCHENPRAND
Cæs. Conf. bell. scribam & ciuem Viennen.

NAta tibi est iterum chara de cõiuge proles
Mascula, spes generis nempe secunda tui.
Crede mihi, sat habes causæ, dilecte Georgi,
Pectore cur toto gaudia concipias.
Multa etenim soboles diuini numinis auram
Testatur, sine qua non viget vlla domus.
Stirps iniustorum radices non agit altas,
Cælestis Zephyri flamine namq; caret.
Et nobis alter, Francisci nomine, cunis
In tremulis infans est, agitatq; iocos.
Dij faciant multos vt possint viuere in annos,
Atq; suam pariter cernere progeniem.

AD

AD CASTRICVM.
Præstare literas armis.

NEquicquã Musis Bellonã Castrice prefers,
Præstare frustra dicis arma litteris.
Musæ etenim per se viuunt, nomenq; perenne
Imbutus est qui litteris sibi parat.
At sine Musarum studio, dulciq; fauore
Bellator immortalis esse non potest.
Intereunt sensim res armis fortiter actæ,
Ni scripta per diserta dentur posteris.
Adde etiã, faciat calamus quod vulnera doctus
Maiora, quàm vel ensis, hasta vel secas.
Hoc tibi ne eueniat, missas fac Castrice Musas,
Illisq; honorem debitum ne deroges.

Vir bonus,
AD. GEORG. LEMANNVM. CAES.
Consilij bell. Scribam.

VIr integer bonusq; non est, cum bonis
Tantũ bonus qui est, sed bon9 qui cũ malis
Occasione sic ferente, permanet.
Nam semper esse vir bonus debet bonus.

IN MORTEM PASQVALINI
Regiselmi Mathematici Veneti.

COnſilio aſtrorum præſcire futura ſolebas:
Cur tua nota minùs fata fuere tibi?
Non præuiſa nigro te inuadit Parca veneno,
Sternit & ignoto corpus humatq; ſolo.
I nunc & cœlos, & ſidera conſule: fallit,
Ipſe vel Aſtrologus fallitur arte ſua.

COMPARATIO MEDICI
cum ſpongia.

NOn malè cum Medico confertur ſpongia: lympham
Dum bibit hæc, aurum dum capit ille, iuuāt.

IN FVNERE SEBASTIANI GOTZII
pharmacopolæ Viennen. amici veteris.

IVngi debebat iam iam mihi filia primi
Ciuis connubio culta puella ſacro.
Omnia iam fuerant multo ſplendore parata
Quæ ornarent thalami gaudia tanta noui.
Ecce ſuperueniens ſqualenti Clotho capillo,
Non magis alterius, ſed meus, inquit, eris.
Palleſco, ſponſamq; ſimul vitamq; relinquens
Extructum ingredior pro thalamo tumulū.
Gaudia turbantur ſubita vice, triſtis vbiq;
Auditur planctus, conſpiciturq; dolor.

Heu quā vana hominū ſpes eſt quā friuola: portu
In medio rapidis fluctibus obruimur.

AD NICOLAVM ENGELHARDVM.

QVod munus tibi Nicolae dono?
Quod? Iani redeuntibus Calendis?
Aedepol leue, nec valoris ampli:
Librum ſcilicet, ordinem dierum
Menſium ſeriemq́ continentem
Anni totius, & ſimul docentem
Queis aſtris ſtatio perennis, & queis
Curſus perpetuus ſit ac recurſus,
Et cœli variam aërisq́ formam.
Sed quid commemoro quod ante notum
Sic eſt, notius vt nihil ſit vſquam?
Aedepol leue nec valoris ampli
Munus do tibi Nicolae, Iani
Calendis redeuntibus, nouoq́
Anno, tu precor hoc libenter à me
Amico veteri tuo atq́ fratre
Fido ſuſcipias: daturus olim
Forſan ſum melius quid, æqua ſi me
Fortuna aſpiciat benigno ocello.
Aſtrorum moderator, omniumq́
(Quæ nunc ſunt, & erunt, futura quæ ſunt)
Temporum arbiter, hunc tibi ſecundet

Annum, postque alium, inde rursus vnum,
Plures póstmodò, Nestoris videre
Donec incolumis dies & annos
Possis, sorte magis magísque læta.

AD HVGONEM ROSSVM, MILITEM *Cæs. Canisæ, affinem suum.*

VXorem esse bonam perutilemque
Facetíssime Rosse, dicis, vsus
Quando postulat, & necessitate
Vrgente, ipsius est opus fauore.
Felicem quoque nominas virum qui
Illam tunc habet ad latus paratam.
Non nego, est aliquid paratam habere,
Vsus quando iubet necessitasque:
Sed felix nimis & beatus ille
Hugo, coniuge qui potest carere.

AD BENIGNVM LECTOREM.

O Qui fortè meum domi libellum
Percurres, rogo te benigne lector,
Ne præsentibus hoc agas puellis,
Aut non omnia saltem eis, iocante
Quæ nos ludimus hinc & hinc Camæna,
Exponas patria repente lingua.
Nam multum vereor (malæ, feroces

Vt ſunt, & cupidæ vltionis) in me
Nē ſtringant ſua tela, egoq́; fiam
Orpheus, Danubiuſq́; fiat Hebrus.

IN VERSIFICATOREM INCONSIderatum ad Iohan. Huberum &c.

QVicunq́; ille fuit, ſterili qui carmine paucos
Pontifices dixit nomine recq́; bonos.
Innumeros contra Papas longo ordine ſæuos,
Quorum opera Chriſti dilanientur oues.
Iſte equidem furijs agitatur, vel maleſanus
Ignorat numerus quid ſit, & innumerus.
Nomine recq́; bonos nam quinquaginta recenſet
Bis quatuorq́;: decem ſed modò treſq́; malos.
Quid non cæca audet carpendi ſæpe libido?
Aſt hic, quos tentat carpere, laudat iners.
Præſtat enim longè numerus, ſuperatq́; bonorũ,
Pauci ponuntur quos mala vita notet.
Sint, concedo, mali: bis ſenos inter amicos
Chriſti, qui Chriſtum proderet vnus erat.

LAVDAT VINVM HENRICI Nickardi &c.

DEnt alij laudentq́; merũ quodcũq́; libebit,
Me Nickarde tuum ſoſpitat, imò beat.

AD PICTOREM NICOLAI PIERII
Adamum Resterum.

VXorem ducis, duplicas tibi Adame laborẽ:
Pingere namq; die, fingere nocte potes.

AD VVOLFGANGVM SCHVVANSERVM
V. I. D. *& Cæs. Mai. &c. Aduocatum Cameræ.*

THespiadum cantu quod delecteris amæno,
Et iuga Parnassi frondea sæpe petas;
Ante quidẽ norã: mea sed quod carmina laudes,
Meq; velis penitus noscere, nescieram.
Gaudia mox toto concepi pectore, Iudex
Id mihi cum nuper diceret ore tuo.
Iudex Pæoniæ doctissimus artis, amicus
Et pariter cytharæ fidus Apollineæ.
Acri iudicio polles Schvvansere, sed ò ne
Versiculis, vereor, decipiare meis.
Sunt etenim gracili calamo, sunt numine nullo
Compositi, procul à fontibus Aonidum.
Carmina te oblectent, per mitia stagna Caystri
Mellisflua cygnus qualia voce canit.
Haud alia ò Schvvansere tuis sunt auribus apta,
Qui nomen cygni dulce canentis habes.

AD IACOBVM TREVTLERVM,
Cæsarei Conf. bellici scribam.

Ex Græco.

NImis bibendo quisquis excedit modum,
Is compos haud est mentis & linguæ suæ.
Effundit ore verba balbo rancida,
Nulloq; ducitur pudore quàm diu
Vino calet, ridente sobrio interim.
Cum saperet ante, tunc repente disipit.
Hæc præsciens, merum nimis ne ingurgites,
Sed surge prius, abicq;, quàm sis ebrius.
Nec turpiter permitte subdat te sibi
Venter tumens, mediastini instar improbi,
Inseruientis omnibus laboribus.

AD PHOEBVM, POST LONGAM
ægrotationem.

PHæbe potēs medicis Parcarū extendere suc-
Pensa, citosq; colos arte inhibere sacra. (cis
Si facis vt nobis, depulsa corpore tabe,
Iam tandem redeat pristinus ille vigor:
Non modò votiua tua templa ornabo tabella,
Et nitido capiti mollia serta legam.
Sed tibi iuxta aras statuā de marmore Daphnen,
Delicias faciat quæ tibi blanda nouas.

Delicias marmor & maiores forsitan, olim
Quàm cum te fugeret marmore dura magis.

AD ANDREAM VRSVM, ALIAS
Medue, Cæsarei Conf. bell. interpretem.

RES est optima sanitas, deinde
Mens recta, ingeniumq; non ineptum.
Tertiò, sine fraude opes paratæ,
Quartò, viuere cum bonis amicis.
His si relligio, Deiq; cultus
Accedant, nihil est magis beatum.

IN NECEM LVDOVICI ARTO-
polæ apud Scotos.

QVid te nūc triplici cōgestū tupiter aurū
Vsura, quid te pocula crebra iuuant?
Ebrius indulges tacita dum nocte sopori,
Collidit guttur combibo reste tibi:
Aufert præsentes nummos, spectacula mane
Horrida tu populo, corpus inane, facis.
Perderet(heu fatū)vt te crapula,perderet aurū,
Non potuit nuper perdere terra tremens.

AD HENRICVM NICKARDVM.

REbus in aduersis, & cum me tristis egestas
Vrget, ad auxilium curro repentè tuū.

Anchora

Anchora tu nostræ ratis es secura, procellis
Cum sæuis agitur, cum furit ira maris.
Tu mihi Portunnus, mihi tu(cum sit lupus alter
Alterius) certo præsidio, deus es.
Pro pietate tua tibi quid Nickarde rependam?
Res nunquam aduersas experiare precor.

M. CATO DE VITA HVMANA
simili ferro, apud A. Gell.

HVmana vita similis est ferro propè:
Si sæpe ferrum exerceas consumitur,
Exerceas minus, tamen rubigine
Perit: videmus conteri sic plurimos
Exercitatione, nil si exerceas
Torpedo damni plus facit & inertia
Quàm sudor, atque exercitus diu labor.

In Castricum.

Quid te magnanimũ, quid iactas Castrice fortẽ?
Quid capiti ostentas vulnera facta tuo?
Arguit ignauum & vilem numerosa cicatrix:
Vulnera qui infligit, fortiter ille facit.

IN OBITV SIGISMVNDI AB OEDT,
Cæs. Cons. & Regiminis Austriæ inferioris Cancellarij.

LVgete Musæ, fle Themis, vester iacet
Patronus ille antiquus & fautor bonus,
Qui lustra tot consumpsit in Scholam & Forum,
Virtute scandens hinc ad vsq; sydera.
Plorate litteræ, dole Respublica,
Non parua detrimenta iam nunc vos manent.
At tu senex diuine habes cur gaudeas:
Curis negotijsq; nam liber Deo
Vacabis, & secura carpes otia.

DE QVATVOR ANNI TEMPORIbus, *ex Merlino Coccaio.*

De Vere.

INduit è vario iam vestem Terra colore,
Et pariunt flores prata soluta nouos.
Vmbriferi montes rident, syluæq; virescunt,
Quærit auis sociæ iungier omnis aui.
Per muros serpit rediuiua lacerta calentes,
Florigerosq; agros depopulantur apes.
Frugilega egreditur vacuo formica cubili,
Garrula sub liquidis rana coaxat aquis.
Villica mane suum cantu demulcet amantem,
Suauibus intexens mollia serta rosis.

DE AESTATE.

TOrridus exustam tellurem findit Apollo,
Pallidaq; infestis ignibus arua coquit.

Tardius

Tardius æthereum per iter iubet ire quadrigas,
Vixq; manu fessa flectere lora potest.
In tantum omnis ager matura flauet auena,
Nulla alia vt pullus pabula equinus edat.
Irrequieta canit sonitu stridente cicada,
Et stimulat rabidos improba musca canes.
Rusticus interulam patitur vix vsus apertam,
Germanosq; iuuat plena lagena mero.

DE AVTVMNO.

VT natura parens Hyemi succurrat egenæ,
Diuersis complet frugibus omne penu.
Ad sua formicæ segetes granaria portant,
Alueolisq; cauis mella recondit apis.
Stramina, grata boum cogunt alimenta bubulci,
Pastores ouibus graminna secta legunt.
Auditur strepitus per cryptas magnus opacas,
Dum vino aptantur vasa vetusta nouo.
Turba lacus replet fœcundos dulcibus vuis,
Atq; patri Baccho carmina læta canit.

DE HYEME.

SPirat Hyperboreis Aquilo vesanus ab oris,
Et spoliat folijs turpiter omne nemus.
In vitrum mutantur aquæ, nix contegit agros,
Brumaq; deformi sæuit vbique situ.

Intra tecta latet testudo, limine clauso,
 Frigore musca perit, rauca cicada fame.
Sedula curat anus coctis conuiuia rapis,
 Non pransura nisi deficiente colo.
Pallet ad accensas insomnis Musa lucernas,
 Sæpe voluptatem nox quocꝫ longa parit.

AD SEBASTIANVM VVESTERNACHER, *Cæsareæ Mai. &c. & Ser. Archiduci* ERNESTO *&c. à Secretis, nunc Gratij in Styria cum Principe agentem.*

COmmendo tibi diligenter istud
VVesternacher opus recentiorum
Humanissime versuum meorum,
ERNESTO quod amabili & benigno
Principi, ac domino meo colendo,
Dicaui meritò atcꝫ consecraui.
Hoc vt tempore commodo lococꝫ
(Vt vir es sapiens, peritus, aulæ
Et morum bene gnarus) exhibere
Illi nomine ne meo graueris
Abs te flagito, mi Sebastiane,
Oro & obsecro : mente namcꝫ tota
Verso nil aliud, nisi vt placere
Possim illi, illius & fauore dignus
Quantumuis minimus cliens, haberi.
Istud si facis, vt puto libenter

Te facturum, & ages nouem deabus,
(Versus scribere quæ docent poetas)
Rem gratam, & tibi vinculo obligabis
Me tam duro, adamantinoq́, nullo
Solui vt tempore, vel queat periclo.

AD SVOS VERSICVLOS, DE NICOLAO *Pierio, Bibliopola & Typographo Viennæ.*

IN tenebris dudum iacuistis puluere mersi,
Blattis & tineis pabula grata nigris.
Nunc vos Pierius claras in luminis oras
Egerit, illius viuitis ecce opera.
Si malè vos tersos produxerit, & male comptos,
Non mihi sed pœnam ponite Pierio.
Pierides siquidem constanter semper amaui,
Sed nunquam, vt scitis, gnauiter excolui.
Si tamen in vobis quid sit quod prosit, & vna
Delectet, grates dicite Pierio.
Qui vos Pierio motu cor[illegible]ptus & æstro,
Amplius in turpi noluit esse situ.

AD ZOILVM.

NOn opus est nostros vt rodas Zoile versus,
Ipse ego quos toties rodo, malosq́ voco,
Quos toties nihil esse puto : seruire palato
Si vis, ne rodas Zoile rosa prius.

FRANCISCO ARCONATO FILIOLO
chariß. & desideratißimo, inferius facit.

HOc etiam pignus thalami prædulce iugalis
Surripitis propere fata maligna mihi?
Nec vos tot lacrymæ demulcent, tot pia vota
Exorant? marmor mollius esse queat.
Sic igitur mea spes moreris, suauissime fili?
Sic solatiolum desinis esse meum?
Vix quarta in cunis te vidit Luna iacentem,
Ecce iaces gelida contumulatus humo.
O teneram faciem, ô certantes sydere ocellos,
Putrida sic eritis vermibus esca nigris?
Non ego vos magis aspiciam? non oscula vobis
Figam? non mihi vos delicias dabitis?
Heu cur fata vetant longum me carpere somnũ
Tecum? cur prohibet Parca vocata mori?
I præ, mi Francisce, mihi cœlestia placa
Numina, mox, nolit mors velit, ipse sequar.
Assiduis memet consumam fletibus: vna
Hæc via filiolo iunget inita patrem.

Eidem.

Magna mihi nuper faciebas gaudia nascens,
Quot gemitus moriens heu lacrymasq; facis?
Felicem fore me sperabam te mihi nato,
Te extincto, infelix me mage nullus homo est.

Ah mi

Ah miror, vitam qui poſsim ducere, tecum
Pars animæ iaceat cum precioſa meæ.
O ſi qua eſt pietas, viuum me condite in vno
Sarcophago, ſiquidem mors vetat vna mori.

Eidem.

Cum lux prima tibi ſulgeret nate, per hortos
Creſcebat noſtros copia larga roſæ.
Nunc cũ te nigras rapiant mala fata ſub umbras,
Atq; extrema dies occidat iſta tibi,
Pungentes ſpinæ circum præcordia creſcunt,
Ferales tribuli confodiuntq; iecur.
Ille velut florum intempeſtiuus fuit ortus,
Hei mihi, natalis ſic quoq; nate tuus.

GRATVLATIO EIDEM, CVM DE-*ſperata iam ſalute, ſubita & miranda vice, pridiè quàm moreretur conualeſceret, & per totum illum diem benè haberet.*

Ergo viuis adhũc? nec te mors ſæua peremit?
Viuis? & à morbo liber es & tumulo?
O bona verba, leues circum præcordia fibræ
Exultant, tanta mens nouitate ſtupet.
Non opus hoc hominũ eſt, miracula talia mũdi
Arbiter auxilio cunctipotente facit.
Corpore defierat toto vigor, halitus oris
Fugerat, in fractis nox erat atra oculis.

Iam lacrymæ, gemitus, vlulatus, tecta replebāt,
Ad cunas stabat sacra lucerna nigras,
Iam pollinctor erat iussus curare sepulchrum,
Fecerat exanimis iam pater inferias.
Ecce repentè redit membris vigor, halitus ori,
Lux oculis, luctum gaudia oborta fugant.
I nunc atq; animū desponde: pharmaca quando
Nulla iuuant, quando spes procul omnis abit,
AEtherei præsto est medicina Machaonis, imò
Gratia defunctos suscitat alma Dei.
O rerumq; hominumq; sator, seruator & idem
Num maiestati par quid in orbe tuæ?
En tibi pro gnato morti morboq; benignè
Subducto, grates dicimus ore pio.
Dicemusq; reget dum spiritus integer artus:
At tu salue infans bis genite atq; vale.

EPITAPHIVM EIDEM.

Floribus hūnc tumulū ne spargas hospes, in illo
Nam nulli cineres, vlla nec ossa iacēt.
Omnia q̄d rapiat, querimur, mors impia: sed nō
Est ita, Franciscum non potuit rapere.
Angelus Angelico cætu portatus ad astra,
Ignorat mortis vim, tumuliq; situm.

Vixit, Men. 4. Dies 7. Hor. 5.
Obijt. 15. Febr. An. 91.

FINIS EPIGRAMMATVM.




HIERONYMI

ARCONATI LEORINI ELEGIAE.



AD SERENIS. PRINCIPEM AC D. D. ERNESTVM *Archiducem Austriæ &c.*

ELEGIA I.



Armina pauca damus, dabimus fors plura, putabis
Esse aliquid nostram si modò Calliopen.
O columen patriæ spes ô certissima gentis
ERNESTE, humani deliciumq; chori.
Vt placeam cupio: satis est placuisse poetam
Magnanimum, vilis vilia lucra petat.
Aeruscator ego non sum, nec sordida quæro
Munera, quantumuis pauper in ære meo.
Musarum sacri fontes montesq; reclusi
Haud vllo precium sollicitante patent.
Ne valeat, cuicunq; suus vænalis Apollo est,
Qui mutare auro carmina sacra potest.

Laurea serta decent vatem, non aurea, lauro
Cui redimita nitent tempora diues erit.
Carminis ipse deus, cytharęq; inuentor, alumnis
Constituit Phæbus talia dona suis.
Moribus & forma, Peneia virgo, puellas
Inter Thessalicas sola celebris erat.
Hanc deus vt vidit (nocuit vidisse puellam
Sæpius) in flammas ecce repentè ruit.
Blandicijs animum tentat precibusq; mouere
Virginis, at flecti virgo seuera nequit.
A Phæbo celeri cursu se proripit, ardet
Sed miser ille magis, quo magis illa fugit.
Insequitur, Nymphãq; vocat reuocatq;, vocãtē
Despicit, & mauult tristia quæq; pati.
Lassa fugæ nimio studio ad Peneidas vndas
Confusa implorat voce parentis opem.
Mutando cupit eximiam deponere formam,
Vt quæ tanti esset causa pudenda mali.
Fata dolet natæ genitor pius, vtq; dei vim
Euitare queat, non licitumq; thorum.
Illius aureolos crines commutat opacas
In frondes, duro cortice labra tegit.
Vertit in effusos candentia brachia ramos,
Et totum velat corpus hiante libro.
In longas pariter radices crura trahuntur,
Lacteoliq; pedes difiiciuntur humi.
O sors dura, perit sic formosissma Daphne,
Fitq; arbor Phæbi quæ prius ardor erat.

Mox deus: vt ſeros tangat tua fama nepotes,
Vt Phæbi in Daphnen non moriatur amor,
Te mea turba ſibi vates in præmia poſcent,
Te propter cythara nocte dieq; canent.
Non aliter poterunt nomen laudemq; parare,
Illis tu nomen, tu decus omne dabis.
O me felicem, lauru ſi quando ſacrata
Impediat frontem diuus Apollo meam.
Tunc ego (ni rapiat ſecum mea vota per auras
Aeolus) à vulgi mente remotus ero.
Dulcia me ſuperis miſcebunt carmina: ſi quis
Aeternum cupiat viuere, carmen amet.
Quis Troiam noſſet, quis fortia noſſet Achillis
Facta, quis Iliaci fata ſtupenda ducis?
Magnanimi caſus quis miraretur Vliſsis?
Herculis inuicti cui modò nota manus?
Ni ſtudijs conſeruaſſent hæc omnia doctis
Laurigeri vates, carminibuſq; bonis?
Hac ratione tuum nomen, laudeſq; tuorum
Stabunt, & nullo tempore deficient.
Teq; tuumq; genus per ſine carentia ſecla
O ERNESTE Ducum maxime, Muſa feret.
Omnia morte cadunt, ignorant ſola ſepulchrum
Carmina, donec erit ſol, quoq; carmen erit.
Hinc fit vt interdum capiã modulantia plectra,
Non vt ſollicito pectore vener opes:
Sed noſtrum vt paſsim ſpargatur nomẽ, & inde
Proueniat nobis non moriturus honor.

Nec nobis tantū solis, verum his quoq; dignos
Carmine quos celebri nostra Camœna putat.
Nostra igitur, Princeps venerāde, poemata quę-
Suscipias animo quo damus, atq; legas. (so
Mi sat erit meruisse tuum cum laude fauorem:
A Ioue nunquid homo plus petijsse queat?

IOCVS DE ORIGINE THERMArum Badensium.

ELEGIA II.

DAnubij ripas & mœnia celsa Viennæ
Post vigiles curas liquerat alma Venus.
Captatura igitur requiem, florentia tempe
Et resonas valles non procul vrbe petit.
Scilicet vmbrifero quà surgunt vertice colles,
Ac modò de calidis fontibus vnda scatet.
Pone sequebatur gestans puer aliger arcum,
Accensas & adhuc fert Cytherea faces.
Huc vbi deuentū est, subsistūt frigida in vmbra,
Gramineoq; locant languida membra thoro.
Abijcit illa faces, & pectora nudat anhela,
Ille arcum & pharetram ponit inermis humi.
Mutua dumq; sibi defigunt oscula, lentus
Serpit in amborum lumina victa sopor.
Fortè per halantes egressæ fontibus herbas
Errabant Nymphæ liberiore pede.

Pars caput aureolis pingebat floribus, ista
  Certabat choreis, voce erat ista prior.
Iamq; referre pedes ad limina nota parabant,
  Et vitreis sese mergere rursus aquis,
Ecce duo aspiciunt molli data corpora somno,
  Ast illis nullum numen inesse putant.
Suspendũt timidæ gressum, perq; omnia ocellos
  Voluentes, trepidant hac nouitate rei.
Quid faciãt, dubitãt, procedere nonsinit anceps
  Formido, prohibet vertere terga pudor.
Arcum mirantur pueri, hamatasq; sagittas,
  Mirantur circum quæ noua flamma volet.
Accedunt tamen atq; faces multo igne coruscas
  Abripiunt, lymphis subijciuntq; suis.
Exardet gelidus subitò liquor, æstuat vnda,
  Et ruit æternus, quis putet? inde calor.
Tunc vna ex Nymphis, sunt ista Cupidinis, inq̃t
  Spicula, sunt flammæ matris Acidaliæ.
Quid porrò mirũ lymphas hinc feruere nostras?
  Ferbuit hac pelagus sæpe polusq; face:

AD GEORGIVM HAVPTMANNVM *Leorinum.* ELEG. III.

miserrimam esse studiosorum conditionem.

SIc hominum vita est, curis vexatur acerbis
  Semper, & assiduo fracta labore gemit.

Nascimur in luctu, luctus comitatur adultos,
Nulla dolore dies, hora nec vlla vacat.
Quisq; suas patimur fatorum examine pœnas:
Felix cui properans stammina Parca secat.
Quid iuuat aurata reges fulgere corona?
Pontifici prodest quid diadema triplex?
Illis nulla quies, solatia parua, fatigat
Magnificas etiam plurima cura domos.
Quas non insidias fortunæ cuncta pererrans
Mercator, quæ non dira pericla subit?
Agricolas alij laudent, genus ast ego vitæ
Vix vllum in terris durius esse reor.
O miserum nimis agricolam sua si mala norit:
Sed magis ò miserum quem fera castra tenent.
Nemo tamen magis infelix Heliconis alumno,
Parcite sacrati numina docta iugi:
Quisquis enim teneris artes sectatur ab annis,
Altaq; virtutis scandere templa cupit.
Non tot spumiferis miscetur fluctibus æquor,
Et Nothus & Boreas prælia quando gerunt,
Ille quot ærumnis premitur, quot casibus ille
Iactatur, varias sorte ferente vices.
Mobilis Ixion raptatur ab orbe perenni,
Supplicium hoc forsan commeruisse potest.
Turba sed Aonidum qui fit quòd criminis expers
Voluatur parili tempus in omne rota?
Certa fides: rude pectus enim formare magister
Cum tetrico vultu ceperit, ore graui,
Heu

Heu quàm crebra nates quatiunt tunc verbera, quàmque
Doctrinam indocili respuit aure puer.
Creuerit at postquam iuueni maturior ætas,
Non intellectis vtitur ipse libris.
Hos indefesso per tempora cuncta labore
Versat, & ignauum non finit ire diem.
Noctē etiā adiungit, reliqui per membra soporē
Dum capiunt gratum, peruigil ipse studet.
Mane caput dolet, & totius corporis artus
Languent, pallor ei luridus ora notat.
Sic vbi Phæbeis mens solers artibus æstu
Incaluit magno, & iam grauiora parat,
Currit ad externas duro conamine gentes
Cultor Apollineæ pauper inopsque lyræ.
Nunc illi calor attenuat, nunc viscera frigus,
Nunc sitis exhaurit, nunc malesuada fames.
Cogitur interdum domino seruire superbo,
Et dominæ insanæ iurgia sæua pati.
Singula quis memoret? patiēs per mille labores,
Per totidem curas doctior esse cupit.
Tantus amor veræ virtutis, tanta cupido est:
Virtutis veræ gratia rara licet.
Pierides quis enim diuas nunc promouet? artes
(Heu pudor) ingenuas quis reuerenter habet?
Magna fuit quondam capitis reuerentia docti,
Inque suo precio non rude carmen erat.
Nunc quicunque bibit sacram Permessidos vndā
Temnitur, & plenus creditur esse meri.

Est suus & misero furor ac dementia Phœbo,
 Sed furor æthereis sedibus ille venit.
Qui præsentis heri confictas ordine longo
 Enumerat laudes, & super astra locat,
Cui petulans stimulat lasciua licentia pectus,
 Cui iugulum Baccho nocte dieq; madet,
Cælicolas, summumq; Iouem qui voce lacessit
 Sacrilega, & tutos non sinit esse polos,
Hic placet, huic defertur honos, hic omnib⁹ apt⁹
 Mensis, huic latè diuitis arca patet.
Interea bonus Hauptmannus, bonus Arconatus
 Fabula sunt stolido ludibriumq; gregi.
Fabula sit licet Hauptmannus, sit fabula & ipse
 Arconatus, habet numen vterq; tamen.
Viuet vterq; tamen, donec sol aureus orbem
 Lumine complebit, sidera donec erunt.
Terrarum domini reges, regumq; trophæa
 In cineres ibunt, nemo superstes erit.
Sæua trium soli confrigent iura sororum
 Artibus ingenium qui erudiere suum.
Quare age tot tetricis mecum circundate curis,
 Mecum etiam affligens exue cordis onus.
Hauptmanne ô patriæ non vltima gloria nostræ,
 Et mihi plus oculis semper amate meis.
Fortunæ licet vrgentis nos dira subinde
 Tela premant, nequeunt attamen opprimere.
Præterea, quis scit (nam spes solatur egenos)
 Crastina quid secum tempora fortè ferant.

Vidi

Vidi ego cui quondam iuueni torpentia tristi
  Frigore squalebant membra, grauiqȝ fame,
Postea virtutis studio feliciter æuum
  Exegisse: dies fert meliora sequens.

IN NVPTIAS RVGERII LOTHARII
Ccausidici apud Carnos & Catharinæ Stofeliæ.
ELEG. IIII.

MVsa licet nec certa mihi nec cōmoda sedes
  Qua te suscipiam, tu tamen oro veni,
Et mecum dignare thorum celebrare iugalem,
  Rugerius quem nunc ingredietur ouans.
Hactenus in viduo consumpsit tempora lecto,
  Hactenus in luctu tristiciaqȝ fuit.
Scilicet ob primos defunctæ coniugis ignes:
  Primus enim totis ossibus hæret amor.
Quinetiam pulla velatus veste puellas
  Constanti reliquas asperitate tulit.
Quod simul ac sensit iaculis instructus & arcu
  Matris Acidaliæ natus, ad arma ruit.
His ego dura viri, memorans, præcordia telis
  His animi fastus exuperabo graues.
Iuppiter expertus quid nostra potentia possit
  Me dominum cœli cur fateatur habet.
Ipse etiam nigris cui paret Tartarus vmbris
  Nostra reformidat spicula, victus eis.

Dextera cur florem gestet, manus altera piscem,
Non temere est, parent terra fretumq; mihi.
His ita finitis, neruo deturbat adacto
Telum, permulto sanguine & igne rubens.
Fallor an hoc docta fabricauit Dædalus arte,
Ipse vel ex rutilo Lemnius ære deus?
Non secus ac supera cadit ardens fulmen ab arce
Quod ferit obstantis culmina celsa domus.
Sic illud volat emissum, penetratq; fera vi
Rogerij pectus, claustraq; cordis adit.
I nunc & Veneris puerum dic lumine cassum,
Dic aliquem Cyprias temnere posse faces.
Rogerius subitum per singula membra calorem
Concipit, in venis igneus errat amor.
Te Catharina cupit, te deperit, hæret in vna
Te totus, sine te nil sibi dulce putat.
Forma placet non ficta, placet non vilis origo,
Aetas, atq; carens crimine vita placent.
Protinus atratum permutat lætus amictum,
Et versat thalami gaudia mente noui.
Annuit omnipotens rector, Iunone secunda,
Rogerio spondet ius Catharina thori.
Quis neget auspicio fieri connubia diuum?
Numine iunguntur fæmina virq; sacro.
Sed quid ego insigni cultu radiare puellas
Tot video? matrum quid chorus ille notat?
Quid iuuenes nitido fulgetes corpore? quantus
En grauium numerus, qualis & ordo senum?

Pars

Pars iterat chordas digito variante loquaces,
Pars resonis fundit carmina læta tubis.
Esse quid hoc dicam, lux hæc te candida poscit
Sponse, tibi lusus fert alacresq; iocos.
Et meritò, quis enim te lusibus aptior? in te
Castus amor sedem fixit, & alma Venus.
Formosæ Charites blandis dominantur ocellis,
Ingenium Pallas, pectus Apollo regit.
Quare age dulciculo venientem suspice sponsam
Amplexu, & teneris basia fige genis.
Ardor vti primus sensim præcordia circum
Frigida adhuc serpit comibus illecebris,
Sic retinenda fides placidis in amore iugali
Moribus: est rigido gratia nulla viro.
Quid cessas? Catharina tua est, sors siue secundis
Flatibus aspiret, lubrica, siue malis.
Illa tuos nunquam poterit vitasse lacertos,
Illius nec tu deseruisse latus.
Sola thori nouit disiungere vincula casti
Mors: nihil ah mortis vim superare potest.
Sed prius è viuis quàm tu rapiare tuumq;
Delicium, numeres plurima lustra senex.
Plurima te soboles alterna voce salutet,
Sollicitent placidum tristia nulla animum.
Post vbi fatales Lachesis tibi neuerit annos,
Nec sinet vxorem viuere longa dies,
Elysiæ maneant vos ò felicia syluæ
Gaudia; post obitum vita beata venit.

SACRATISS. CAESARI RVDOLPHO II. *Rom. Imp. Aug. &c. & Sereniß. Archid. Austriæ* ERNESTO *&c. Vienna Constantinopolim iturus.* ELEG. V.

MAgnum iter extremas Thracũ proficiscor
 ad oras,
 CAESARIS vt peragam iussa benigna mei.
Et tua, Pannoniæ qui curam, nomine fratris
 O ERNESTE agili dexteritate geris.
Austria blanda vale, valeas fœcunda Vienna,
 Non ego delicias iam mage curo tuas.
Nec me dulcis amor patriæ, non cana moratur
 Et deserta parens, non tenet orba soror.
Quotquot amicorum fidissima pectora noui,
 Non aliter possunt consuluisse mihi.
Promittat licet ille meis grata otia Musis,
 Ille sed incertas polliceatur opes.
Ingredior rigidamq; viam, durosq; labores,
 Quæq; instant capiti multa pericla meo.
Nõ modo per Rhodopes, per & Hęmi saxa, Ty-
 Barbarici ad soliũ, regna cruẽta, ferar: (ranni
Extremas sed adibo domos hoc nomine mundi,
 Seu via sit terra seu facienda mari.
Grata sit ò saltem tibi clementissime CAESAR,
 Atq; tibi PRINCEPS inclite nostra fides.
Interea

Interea dum me Byzantia littora habebūnt,
Et procul à nostro cogar abesse solo,
Numina sancta precor cœli, vt vos numina terræ
Assidua vitæ prosperitate beent.
Augeant imperium sine fine, in quoslibet hostes
Sufficiant animos, robur, & auxilium.
Illis perdomitis vigeat pax aurea mundo,
Seruiat & vobis gens vtriusq; poli.
Quæ tunc quæ toto libertas surget in orbe?
Quàm felix rerum tunc status omnis erit?
Austriacæ stirpis celeberrima gloria famam
Patribus eripiet Martia Roma tuis.

IN DIEM NATALEM PAVLI EIZINGII *Lib. Bar. &c. & Cæs. Mai. apud Turcar. Imp. Legati.* ELEG. VI.

ITe meos circum genialia serta capillos,
Et spirent vernas singula membra rosas.
Ancipites abeant curæ, tetricíq; labores,
Et facilem quicquid mentem onerare potest.
Lux hæc alma nihil secum nisi gaudia portat,
Nil nisi delicias, innocuosq; iocos.
Nomen enim PAVLO nascenti fecit EZINGO,
Qui modò Byzantij Cæsare missus agit.
Cæsaris, orator, secreta negotia tractat
Regnorum, & magno pectore cuncta gerit.
Scili-

Scilicet, hoc illi virtus generosa parauit,
Qua sine quis tantum munus obire queat?
Ducit ad id rerum variarum longior vsus,
Ingenij vigor, & non dubitata fides.
Quare agite vnanimes mecum gaudete sodales,
Huncq; diem totum sumite mecum hilares,
Bacche pater, quoniā tibi semper blāda voluptas
It comes, & sine te gaudia nulla placent.
Huc ades, atq; tuum nobis infunde liquorem
Largius, ô domitor Bacche doloris ades.
Munera quē tua non delectant? tu Ioue magno,
Es genitus, nulla est fraus ibi, Bacchus vbi.
Te fido impulsore precabimur omnia Paulo
Fausta, dies Paulo hæc sæpe redire velit.
Hanc lucem aspiciat Paulus venientibus annis,
Sedibus in patrijs auctus honore graui.
Sæpius hanc numeret lucem Iunone secunda
Coniugis illustris quando maritus erit.
Quando erit ornatæ sobolis pater, atq; nepotes
Blandidulos gremio quando fouebit auus.
Iuppiter omnipotens solennibus annue votis:
At tu, nam sitio, porrige vina puer.
Aruit en calamus, siccis vox faucibus hæret,
Porrige vina, cado sed meliore, puer.

IN OBITVM IOHANNIS SAMBVCI *Pannonij, ad Iohan. Leuenklauu.*

ELEG. VII.

MOEstus ad exequias dilecti vado patroni
Morte repentina qui superatus obit.
Threiciæ comites Musæ precor este, dolete,
Deplorate sacri tristia fata viri.
Si non & vestrum numen, vestrumque Helicona
Sambuco merso mersit acerba dies.
Tu quoque spiranti quondam gratissime vati
Docte Leonclaui funeris esto comes.
Quandoquidem Constantini tibi contigit vrbē
Fædatam Scythica visere barbarie.
Ad suaues epulas, nouus hospes, & optima Bacchi
Munera, de patrio more vocandus eras.
At quis læticiæ tanto mærore suborto
Quisue voluptatis, proh, locus esse queat?
Dum Sambucus erat, licuit gaudere, superstes,
Esse vbi desiuit, gaudia pressa silent.
Sic igitur Sambuce iaces? Sambuce sepulchrum
Sic tibi construimus? sic monumenta damus?
Quàm potius cuperem te nobis ista dedisse,
Te tumulis nostris imposuisse notas.
Scilicet importuna rapit mors omnia, nigras
Iure suo cunctis injcit illa manus.
Quis bonus haud mecū gemat & suspiria fundat?
Quis non flebilibus lugeat vsque modis?
Maximus in lacrymas sua si tot flumina mutet
Ister, & in lacrymas Bosphorus omnis eat,
Non satis ostendi luctus, non posse dolores
Arbitror, Aonidum queîs chorus obruitur.

Hebre tui vatis caput à ceruice reuulsum
Cum medio veheres amne, sacramq; lyram,
Credibile est homines non tantū, sed quoq; mō- (tes
Vicinos, syluas, & doluisse feras.
Cur non Sambuco tantundem præstet adempto
Propter Danubij flumina quicquid adest.
Ingenio maior fuit hic, ignosce fatenti
Calliope, nato maior & arte tuo.
Testantur tot scripta viri vulgata per orbem,
Et certam faciunt marmora sparsa fidem.
Hunc vltrò Reges domini coluere, probarunt
Consilium, sana mente quod ille dabat.
Plurima Sambucus fuit vnus, Palladis artes,
Historia, hoc vno morte cadente, cadunt.
Quid loquor imprudens? viuit Sambucus, in illū
Sæua nihil Lachesis, mors nihil atra potest.
Quod mortale fuit, quod inutile, viscera terræ
Accepere, manet non moriturũs honor.
Gloria virtutis latum diffusa per orbem
Restat, & à tumulo libera semper erit.
Interea cineri bene sit precor, ossa quiescant
Molliter, ad dominum mox reditura suūm.

EPITAPHIVM EIDEM, AVTHORE *Georgio Hauptmanno Leorino.*

HVnnorū plantata olim Sābucus in hortis
Radicem in magni Cæsaris egit humū.
Arbos

Arbos grata Deo, gratissima Regibus arbos,
Quæ tamen, heu, lapso flore, caduca iacet.
Legerat hanc Phœbus sibi pro Daphneide lauro,
Nec Sambuce tamen, Laure nec ipsa viges.
Dat lacrymas Clio, squalent Heliconia tempe,
Pythiüs & mœret, mœret & alma Themis,
Quòd non insidias lethi sensere, quòd herbis
Auxiliatricem nemo tulisset opem.
Nunc immortalis Paradisi pascitur aura
Plantula, in Abrami, post sua fata, sinu.
Non æstus illic illam, non flabra: nec imber
Conuellunt, soli sed patet illa Deo.

OBIIT SAMBVCVS APOPLEXIA
Viennæ Austriæ An. 1584. Idib. Iun. reformat. hora 10. antemeridiana.

AD PHILIPPVM HANNIVALDVM *ab Eckersdorff Silesium, Constantinopoli Viennam euntem.* ELEG. VIII.

Longum iter Austriacos animo meditaris ad agros,
Obq; oculos versat pulcra Vienna tuos.
Illam adeo Byzantina statione relicta,
Compositis rebus, lætus adire paras.
Deseris hac igitur charos feritate sodales?
Meq;, Philippe mihi fratris amate loco?

Tam longamne viam sine me superabis, & esse
Tam longo sine te tempore cogar ego?
O si fata, meis semper contraria votis,
Me sinerent tecum viuere ad vsq; rogum,
Quã felix essem, quamq; omni ex parte beatus,
Tunc nollem Cræsi conditione frui.
Tanta tui est animi præstantia, tanta venustas
Morum, & in egregio pectore tanta fides.
Addo tot ingenij dotes, tot dona Mineruæ,
Et quæ longo vsu multa venire solent.
Quis mihi nunc fuerit te discedente fidelis?
Vnus? & hunc vnũ, proh, mora parua tenet.
Hinc quoq; Pezenus nostrum solamen abibit,
Mitia quando noui tempora veris erunt.
Ah meminisse iuuãt saltem semperq; iuuabit,
Quam toto vnanimes tempore vixerimus.
Rarus amor verus, rara est concordia vera,
Commoda si tollas rarus amicus erit.
Tu mihi res variè gestas narrare solebas,
Huius & illiũs tu memorare dolos.
Contra ego quæ tacito seruabam condita corde
Deposui fidis auribus vsque tuis.
Tu lenire meos noras blanda arte dolores,
Afflicti morsus tu medicare animi.
Siue vna in dubia veheremur per mare cymba
Europam atq; Asiam quod simul esse vetat.
Siue cupressiferos per colles, siue per hortos
Erraremus aquis frigidulis riguos.
Quid

Quid referã in noctẽ pertractos sæpe profundã
Sermones, reliquos dum sopor altus habet?
His ego destituar nunc omnibus, heu, mihi tecũ
Non licet ad patrios quod remeare lares.
Nulla qujes mihi iam bis septem contigit annis,
Et terra & pelago tristia multa tuli.
Tristius at nihil hoc fuit vnquam carcere, nil hoc
Dicere sic liceat, durius exilio.
Sæpius admiror qui te malus egerit error,
Quæ mala mens, verbis parce Philippe meis,
Euitata semel quod retia rursus inires,
Quodq; iterum posses Thraciam adire feram.
Naue semel fracta, infidis qui liber ab vndis,
Se rursus credit fluctibus, ille furit.
Nunc quoniam redijt melior sententia, dignum
Aeterna merito te voco laude virum.
I repete Austriacos post tot discrimina colles,
I patriæ gratus ciuis & hospes eris.
Solus ego hic sine te fuero, viuamq; libenter,
Tu modo felici sydere adito tuos,
O quibus excipient redeuntem plausibus, ô quã
Vndique lætitiæ splendida signa dabunt.
Tunc tu semotis sensim de pectore curis
Securos duces sorte fauente dies.
Suauius ah nihil est patrijs quam degere in aruis,
Cum fracti externo pene labore sumus.
Pondere mens illic nullo tranquilla grauatur,
Optato requiem membra thoro capiunt,

Hoc eſt pro tantis pro totq; laboribus vnum
Poſt ſolatiolum quod ſibi quiſque cupit.
Iam nunc chare vale, fratriſq; Philippe relicti
Thraces apud rigidos, ſis ſine fine memor.

DE SVO ERGA ANNAM, POSTHAC *vxorem ſuam, amore, ſub nomine Nigellæ.*
ELEG. IX.

QVis nouus heu miſero pectus furor occupat? ignes
Ergo iterum ſparget tota per oſſa Venus?
Irrequieta Venus, quid vis tibi? parce per arcus
Per pharetras nati parce rogata tui.
Ante ſatis didici qui ſint in amore dolores,
A curis nullo tempore ceſſat amor.
Si tamen, vt quondam, cogar tua caſtra tenere
Et fungi intrepidi militis officio.
Præmia militiæ promittas certa, futuri
Temnere ſpes precij multa pericla facit.
Conſumi lento quid me iuuat igne, Nigella
Pectora ſi glacie frigidiora gerit?
Comibus illa quidem me dudum ſpectat ocellis,
Interdum tribuit me tribuente manum,
Quæ niue candidior, molli quæ mollior vnda
Conduplicat ſæuas cordis alitq; faces.
Quinetiam teneris emittit ſæpe labellis
Verba, ſuo ridens qualia Iuno Ioui.

Iſta quidem afflicto pariunt ſolatia amanti,
Spem faciunt, ſine qua nullus amare poteſt.
At quoties ſubit, in centum vix eſſe puellis
Vnam conſtantem, quæ careatq; dolo,
Fidere blanditijs non tutum cenſeo, fallit
Qua minimè reris fœmina parte virum.
Diligat ô ſi me ſyncero corde Nigella,
Nec fingat, veluti fingere turba ſolet.
Illius in laudes Phœbum ex Helicone vocarem,
Eq; ſuis traherem Pegaſides latebris.
Illam ego Iunonis vel Pallados inſtar haberem:
Nec video cur me non redamare velit.
Deſidiam fugiens tot iam labentibus annis
Iactatus terra ſum pariterq; mari.
Nunc mihi ſunt vitę ſex luſtra peracta, quis aptā
Hanc neget ætatem dulcibus eſſe iocis?
Mobilibus non eſt pueris conſtantia, mentem
In ſolo ſtabilem quærat amica viro.
Adde meo nullam quòd toto in corpore mendā
Inuenias, conſtant cuncta vigore ſuo.
Si quos curat amor natales verus, honeſta
Sum genitrice, bono ſum genitore ſatus.
Maiores titulos, maioraq; nomina iactet
Cui leuis ambitio pectus inane quatit.
Cenſus abeſt, fateor, ſed virtus inclita cenſus
Eſt mihi ſat magnus Pieridumq; fauor.
Diuitiæ in caſu poſitæ ſunt, ſola perennis
Stat virtus, ſortem ſola timere nequit.

Sed quid proficiunt hæc omnia mutuus absit
Si calor, & surdis auribus ista canam?
Ergo dia Venus, quoniam durissima flammis
Emollita tuis corda domare potes.
Fac age fac parili me complectatur amore
Præferat & nullum victa Nigella mihi.
Me socium thalami cupiat, me diligat vnum,
Quando ego non aliam diligo, nec cupio.

IN OBITVM ADAMI DITTRICH-*stainij, Liberi Baronis Hollenburgi, &c. D. Nicolspurgi, Sac. Cæs. Mai. &c. Consiliarij primarij, & Aulæ supremi præfecti.*

ELEGIA X.

VRbs si tota Numam miserè plorauit ademptum,
Et tangunt mentes tristia fata pias.
Flebilis Aula nigram cape vestē, funde querelas,
Ah tibi magna nimis causa doloris adest.
Ille tuus moderator obit, tua fama sepulchro
Imminet, Adamus, debita iusta para.
Ecce Astræa gerens euersum segniter ensem
Et fractas lances, fert sine lege pedem.
Aspice demissos tenet vt lugubris ocellos,
Vt tenerum pectus tundit vtraq; manu.

Humectant lacrymæ sparsos de fronte capillos,
Mæstaq; singultus plurimus ora quatit.
Fertur Aristidis sic illa in funere visa
Integritate grauis iusticiacq; viri.
Nec minus Adamo Pietas confusa cadente est,
Quàm cum tot Cæsar vulnera dira tulit.
At Deus in nobis viget, & diuina voluntas,
Dicimur & superi cura benigna chori.
Scilicet attenuat mors omnia falce recurua,
Omnibus insidias illa necemq; struit.
Mater Alexandro, pater aut quid profuit? orbẽ
Intrepido vastum quid domuisse animo?
Et virtute potens idem pater addidit armis
Inuictis regno regna aliena suo.
Aspice Solonem cuius sapientia longum
De sera meruit posteritate decus.
Hunc etiam suprema dies detrusit ad orcum,
Fatalem Virtus effugit vna rogum.
Fortia facta manent, Romani fama laboris
Semper erit, Romæ non morietur honos.
Sic erit Hannibalis sic Pyrrhi nomen in æuum,
Et queis præterea mens generosa fuit.
Quid nos stēma iuuat? quid celsa palatia prosũt?
Quid tot principibus complacuisse viris?
Fata bonos adimunt nullo discrimine, tantum
Debebant (fasso parcite) obire mali.
Sis licet illustris, locuples, faueat tibi Cæsar,
Mors tamen arbitrio te rapit atra suo.

Virtuti confide bonæ: iacet en iacet ingens
Adamus, tantum quem breuis vrna capit.
Teńe igitur terræ merſit tenebroſa vorago
Magne Heros? membris paſcitur illa tuis?
Ah magis hæc templis, ariſq; dehiſcere ſacris
Debebat, tantum quàm tolerare nefas
Indignata Themis pallenti exhorruit ore,
Sunt quoq; qui fletu membra rigaſſe ferunt.
Sed tamē hoc melius, quàm ſi in regione remota
A chariſq; procul ſedibus occideres.
Te Nicolſpurgi multo languore cubantem
Vxor in appoſito fouit anhela ſinu.
Compreſſit manibus fugientia lumina, gnatæ
Oſcula certatim mæſta dedere genis.
Mærentes gnati ſoluerunt vltimum honorem,
Mortis vbique fuit ſumma querela tuæ.
O me ter fauſtam, ſingultus inter amaros
Vxor ait, ſi ambos mergeret vna dies.
Ambos vna, pari fato, ſi conderet vrna:
Vlterius Clotho quid mea penſa trahis?
Si tamen & præter nomen cineresq; ſepultos
Reſtat adhuc quicquam, ſpem faciente Fide,
Adamus ſupera ſacer ecce locatus in arce
Pars erit Angelici ſuſpicienda chori:
Illic præſentem præſens terræq; poliq;
Aſpiciet Dominum, tanget & aſtra manu.
Hæc te Adame manent conſortia ſancta: piorū
In numerum Virtus te Pietaſq; ferunt.

Nuda precor sub humo nõ duriter ossa quiescāt,
Marmora nec cineri sint onerosa tuo.

EPITHALAMIVM GEORGIO LEOnardo *Stotzingio, Ruperti filio, & Euae Penzenauerae.* ELEG. XI.

COniugiũ celebrat proles Stötzingia, spõsis
Dicite io Musæ carmina pauca nouis.
Aula parumper abi, cessate negocia, lætam
Festiuamq; diem gaudia plena decent.
Vnde Cupido tuis est tanta potentia telis,
Vnicus vt victor totius orbis eas?
Scilicet à prima tu magnus origine mundi es,
Semine cœlesti venit & ille vigor.
Non semel expertus tua spicula Iuppiter, arcem
Aetheream posito fulmine deseruit.
Arsit ab igne tuo gelidis Neptunnus in vndis,
Liber ab insidijs Pluto nec ipse fuit.
Quid mortale genus tanti sit numinis expers?
Fert placide imperium sexus vterq; tuum.
Tu mentes hominum miro conamine iungis,
Concilias animos, fortia corda ligas.
Corpora connectis vinclo, quod soluere sola
Mors potis: hinc socij pignora chara thori.
Humani hinc generis series, & certa propago,
Hinc incrementum maxima terra tuum.

Hicdeus ille potens, vulnus fatale Georgi
Iamdudum fecit qui Leonarde tibi.
Qui modò dat teneris stringendā amplexib9Euā,
Gloria virginei quæ, puto, prima chori est.
Sanguinis authorem quis nescit? quis bona nescit
Fortunæ? cui non cognitus oris honos?
Sed leuia hæc: animi dotes præconia quæuis
Exuperant, virtus cætera parua facit.
Eua etenim pulchris ornata est moribus, Eua
Sedatam mentem, mitia corda gerit.
Laude pudicitiæ præstat, patiensq; laboris
Otia contemnit, docta, diserta, pia est.
Eua imitatùr apem, naturam cuius & artem
Sic tenet, vt melius nemo tenere queat.
At tu formicam referens, niueumq; columbum
Sponse, tuæ sponsæ quàm bene iunctus eris.
Concordem, placidum, mitem iubet ille, sed illa
Solertem, frugi, præcipit esse virum.
Ecquis ab egregio, & multis virtutibus aucto
Aut velit aut possit degenerare patre?
Per varias alij partes sine lege feruntur
Orbis, inexcultum pectus vt erudiant.
Tu patrios intra fines, & tecta tuorum
Doctrinæ cumulas ingenijq; bona.
Hactenus hæc: Hymenæus adest, dant tympana
Nunc Heliconiades cōticuisse iuuat. (signū,
Ante tribus verbis FELICIA QVAEq; precatæ
SPONSIS, Castalij claudite fontis aquam,

Et finite vt Liber sua dulcia pocula promat,
Nam me iamdudum vexat anhela sitis.

AD EGIDIVM GATTERMAYER
Caes. Mai. &c. Cons. & Quaestorem aerarij bellici. ELEG. XII.

ECce nouis iterum canescunt arua pruinis,
Et nimio in glaciem frigore transit aqua.
Quàm pede praecipiti pars gratior auolat anni,
Quàm cito fit positis arida sylua comis.
Florea quae virides nectebat serta per hortos
Nuper amatori laeta puella suo
Nunc sedet ante focum & deducit pollice tardo
Fila colo, aut pingit lintea tristis acu.
Pocula nunc opus est calida fornace domare,
Quae glacie aestiua frigida nuper erant.
Pellibus integitur villosis, cui graue pondus
Ante dies paucos linea palla fuit.
Scilicet humanis nulla est constantia rebus:
Alterna variat sors vaga cuncta vice.
Sic mihi sic vires paulatim corpore in aegro
Deficiunt, & abit priscus ab ore nitor.
Lustra licet septem vix dum mea viderit aetas
Nec premar vxoris mole iugoq; diu.
Ah vbi nunc vigor ille recens, cũ fortibus ausis
Eoas peterem Marte fauente plagas?

Creta

Creta duos annos vſa eſt me milite, duri
Tunc ego tunc patiens, crede, laboris eram.
Armatum pariter, Bellonæ & caſtra ſequentem
Littora Baiarum me tenuere diu.
Dij, quàm per varios caſus mihi contigit Anglos
Belgas & Cymbros cernere, & Heluetios.
Non ſemel optatum ſitienti Sequana potum
Præbuit, & Rhodani flumina nectar erant.
Sub Ioue non æquo quoties conſumere noctes
Frigidulas feſsi membra coegit iter?
Qualia pertulerim celeri dum curro feroces
Quadrupede ad Thraces, qui memorare queã?
Quinetiam patior nũnc triſtia multa, querelis
Conficior, requies nec mihi certa datur.
Nemo iuuat, nemo vati ſuccurrit egenti,
Eſuriunt Muſæ, pallet Apollo fame.
O mihi tranſactæ redeant ſi tempora vitæ,
Nomine fors alio notus in orbe forem.
Talia nocturnis meditor dum peruigil horis,
En graciles artus occupat acre gelu.
Labitur è digitis calamus torpentibus, ipſa
Calliope mecum frigore victa gemit.
Quare age, ni me vis extinctum reddere totum
QVAESTOR, ni Muſam vis iugulare meam.
Aut mihi mercedem meritam perſolue laborum,
Aſpera vel lignis frigora pelle tuis.

STEPHANO SCHLACHTERO I. V. D.
Sponso, & Mariæ, Georgij Furstij, Consulis Viennæ filiæ, Sponsæ.

ELEGIA XIII.

HVnc etiam Thalia mihi concede laborem,
Dicā Schlachtero carmina pauca meo.
Is iuga non pridem superauit montis amæna,
Quò Virtus sedem fertur habere suam.
Nunc aliū scandet montē, iuga cognita nunquā
Ante, via insueta, nunc superare parat.
Difficilis fuit ille labor, sed plenus honorum,
Mitior hic, placidi plenus amoris erit.
Illum Pierides, Themis, atq; Mineruа dederunt,
Hūc Charites, Veneres, pronuba Iuno dabūt.
Illo dignus erat Schlachterus monte, nec isto
Est indignus, habet cur bene vtrumq; terat.
Ex illo virides hederas, laurusq; recepit,
Ex isto fœtus, germina viua feret.
Næ mihi præ reliquis felix Schlachtere videris,
Cui bona contingunt tam citò magna duo?
Coniuge, quale bonum maius meliusue, pudica,
Diuite, formosa, Patricioq; sata?
Signa tulisse viri docti plaudente theatro
Gloria summa, tibi sed celebrata prius.
Nunc celebranda venit virgo cultissima, quā tu
Ducis in amplexus, in sociumq; thorum.

Sed

Sed quis eam dignis decantet laudibus, omne
  Fœminei generis quæ tulit vna decus?
Si spectes animi dotes, non gratior vlla est;
  Si formam, formæ vincit honore Deas.
Istud miror ego, & semper mirabor, in orbe
  Quòd sors tam vario turbine cuncta rotet.
Debebat tua Sponsa alij nupsisse marito,
  Iam venturus erat lætitiæq; dies:
Ecce illi, tanquam digno minus, injciens mors
  Atra manus celeres, irrita pacta facit.
Fit vidua ipsa prius quàm coniux, sumit amictũ
  Palla pro niuea, sorte iubente, nigrum.
Nunc tibi (sed meliore precamur sydere) nubit,
  Nunc thalami consors est Maria apta tui.
Aptus es ipsius quoq; tu complexibus, omni
  Parte pares par vos iungit & æquus amor.
Et quis adhuc dubitet fieri connubia fato,
  Vel tibi posse rapi quod dare fata volunt?
Tu Mariã Schlachtere tenes, Maria est tua: faxint
  Dij superi, vt multos sit teneasq; dies.
Candida pax vobis semper, concordia semper
  Aspiret, procul ô iurgia sunto mala.
Prosperiore fluant cursu cœpta omnia, ditent
  Numina vos animæ corporis atque bonis.
Hæc ego pauca graues inter collecta querelas
  Filioli propter funera mœsta mei,
Do tibi nunc, Sponsæq; tuæ, fors plura daturũs
  Curarum quando fasce solutus ero.

AD LECTOREM.

OPERAE PRECIVM VISVM est, his adiungere duas alias Elegias, olim in Creta compositas, ne in fine aliquot pagellæ conspicerentur vacuæ.

DE VICTORIA NAVALI CHRISTIAnorum reportatâ à Turcis, ad Echinadas insulas An. 1571. die 7. Octob.

ELEG. XIIII.

Aloysio Lolino patricio Veneto dicata.

Vicimus, hostiles tandem periere carinæ,
Vicimus, hostiles conticuere tubæ.
Turca iacet tumidis malè profligatus in vndis,
Vicimus, Actiaco gurgite Turca iacet.
Qui nuper rabido expugnabat milite Cyprum,
Vastabatq; agros Gnossia terra tuos.
Hoc perculsa metu tremuere Ceraunia & omnis
Illyria, & Latij littus vtrumq; maris.
Prę reliquis trepid⁹ refugo Padus horruit amne,
Naiadesq; imis delituere vadis.
Nunc timor omnis abest, vires cecidere tyrāno,
Nil potis est in nos, libera turba sumus.
Ille per Ionium multis cum nauibus æquor
Ibat, in Italiam bella minasq; ferens.

Adriacam penitus molem delere parabat
Et Scythica Ausonio figere castra solo.
Non tulit hunc fastum Veneti pia cura Senatus,
Censet in aduersos arma mouenda viros.
Ergo sibi socios iungunt in fœdera reges,
Vt pellant toto vela inimica mari.
Missus ab Hispana dux Austrius aduolat ora,
Quo melior nemo pectore, nemo manu.
Romulea veniens Columnius acer ab vrbe,
Fert summi secum Præsulis auxilia.
Multi alij proceres, bellatoresq; superbi
Adsunt, quos esset dicere longa mora.
Austriaco rerum defertur summa potestas,
Instruit is classem, ducit, & arte regit.
Hac bene firmata pelagus percurrit apertum,
Et Byzantinas optat adesse rates.
Vincere vel statuit, vel pulchrę occūbere morti.
Illud erat magni, non minus hoc animi.
Sed quasi iam certus palmæ radiantibus armis
Gestit, & euentum spondet vbiq; bonum.
Cui celsam inspirat mentem, cui tela ministrat
Iuppiter, haud dubio prælia Marte ciet.
Ebrius interea nimium Thrax sorte priori
Exoptat pariter conseruisse manus.
Ambraciæ linquit numeroso remige portum,
Terribiliq; sono littus vtrumq; ferit.
Iam validas acies patrium lunarat in arcum,
Et dederant pugnæ signa tremenda tubæ.

Austrius instructis contra volat ocyus alis.
  Eia age, nunc animis, robore nunc opus est.
Exoritur fragor, & nigras it clangor in auras,
  Impete concurrunt Martia rostra fero.
Horrendo geminæ coeunt certamine classes,
  Fulmina, pila, globi, spicula, saxa volant.
Sic Notus & Boreas certamina mutua miscent,
  Dum cæco impellit turbine vterq; fretum.
Nereides caput occultant formidine, pontus
  Ingemit, & longè Græcia tota tremit.
Post longam, ancipitemq; effuso sanguine pugnã
  Eueniunt fractis omnia dira Scythis.
Accipiter veluti volucres sectatur inertes,
  Et timidos lepores sedula turba canum,
Sic sic Christicolæ varijs incursibus hostem
  Præuertunt trepidum, barbaricasq; rates.
Sic Leo magnanim9, media inter spicula & enses
  Irrumpens, Thracum cornua quassa premit.
Neptunnus fauet, & Phorcichorus omnis, amicũ
  Se præbet flabris AEolus ipse suis.
Confractos videas remos, lacerosq; rudentes,
  Discerptas pinus, telaq; rupta virûm.
Hic caput auulsum natat, illic bracchia cæsa
  Fluctus agit, passim corpora trunca fluunt.
Aequorei campi (Protheô mirante) colorem
  Commutant viridem, sanguineoq; rubent.
Auersis paucæ rostris dant terga triremes,
  Cum reliquis miserè turba scelesta perit.

Pars trahitur ferro pedibus p transtra reuinctis,
Seruitium vt toto tempore triste ferat.
Vicimus, emeritas dat pænas Thracius anguis,
Capta per Ionias signa trahuntur aquas.
Prosequitur læto victrices carmine dextras
Triton, applaudunt numina quæque maris.
Actius ipse deus templo admiratus ab alto
Funera tanta, sacros edidit ore sonos,
At tu Thrax male sane fretum fatale caueres
Si saperes, pænas hic Cleopatra dedit.
Vicimus, hostiles tandem periere carinæ,
Vicimus, hostiles conticuere tubæ.
Plaudite io ciues, fundat caua tibia cantus,
Alternaq; manu tympana pulsa sonent.
Plaudite io placidæ matres, teneræq; puellæ,
Pax quibus ante alios gratior esse solet.
Læticiam, atq; intermissas reuocate choreas,
Quicquid & in mæsto pectore sistit onus.
Nunc mea Flora tibi Venus est tractāda, superbos
Exue nunc fastus, duraq; corda doma.
Collige odoratos flores, contexe corollas,
Non intellectis vtere cauta bonis.
Gaudia carpe finit dum ver geniale, colorat
Et dum candentes purpura rubra genas.
Heu male tunc tractatur amor, cum ruga senilē
Infecit frontem, fugit & oris honos.
Nullus amans circum postes tunc tristis oberrat,
Qui canat ad querelas carmina mœsta fides.

Muneribus tentat nemo exorare victam,
Et nemo famulæ tunc eget officio.
Sola domi, sine delicijs, annosa puella
Deducit tremulo pollice fila colo.
Ingratæ secum suspirans damna senectæ,
Et mœrens vacuos præterijsse dies.
At tibi ne teneræ talis iactura iuuentæ
Eueniat, fastum iam rogo pone tuum.
Victa meis tandē precibus succumbe, triumphus
Tunc meus insignis, tunc ego miles ero.

AD FLORAM. ELEG. XV.


RVre meus tandem redijt suauissimus ignis,
O lux ô votis sæpe petita meis.
Flora redux igitur salue, te Iuppiter omni
Auctet ope, & Veneris natus & ipsa Venus.
Heu quos sustinui te non præsente dolores?
Qualia sum passus nocte dieq; mala?
Scilicet extimui ne dum per rura vagaris
Florea, perq; hortos, pictaue prata rosis,
Numen agreste, tuis motum fortassis ocellis,
(Vt petulanter agit) te sibi concupiat.
Teq; salax cursu sequitur dum præpete, amores
Spernentem inuisos pœna aliqua afficiat.
Quid non capripedes Satyri, Panesq; bicornes
Cum Faunis audent, montiuagisq; dijs?

Si quando teneram per gramina læta puellam
  Conspiciunt niuea texere serta manu,
Concipiunt subitò venis trepidantibus ignem,
  Incautamq; modis omnibus illaqueant.
Blanditijs primo tentant, modulantur auena
  Dulcisona, choreas inq; vices repetunt.
Hæc vbi nil prosunt (nã quę blanda oscula figat
  Hirsutis labris?) itur ad insidias.
Mille dolos nectunt renuentẽ vt vincere possint,
  Heu quàm non grati sunt in amore doli.
Ah quoties subijt mentem Nonacria virgo,
  Syluicolæ meruit quæ comes esse deæ?
Illa omnes reliquas specioso corpore Nymphas
  AEquabat, videt hanc lumine Pan torrico.
Exardet, cæcoq; rudis stimulatur amore,
  Et visam querulis sollicitat precibus.
Nympha preces spernit, celeriq; per auia gressu
  Fluminis ad vitrei pallida fertur aquas.
Ingemit, & liquidas simul orat voce sorores
  Se tutam vt seruent à feritate dei.
Vota manent, sibi cũ prensam Syringa putaret
  Pan, tenuit cannam, virgo nec vlla fuit.
Quis non deploret Nymphæ miserabile fatum?
  Quis non crudelem Pana suosq; vocet?
Ah quoties mecum dicebam, Flora silentes
  O modo ne syluas sola subire velit.
O modo ne patulos spacietur sola per agros,
  Aut sola in viridi gramine fraga legat.

O quoties tibi me comitem mea Flora, viæq;
Optauí dubiæ per loca cuncta, ducem?
Quæ non vota tuli Veneri, Venerisq; puello?
Quas non effudi supplice voce preces?
Vt mihi te incolumē seruent, saluamq; reducant,
Audijt orantis numen vtrumq; sonos.
Integra iam tandem & nulla vi læsa redisti,
Nec Pan, nec reliqui te tetigere dei.
O sic perpetuò nostri stet fœdus amoris,
Sic nostros turbent nulla pericla iocos.

FINIS ELEGIARVM.






HIERONYMI ARCONATI LEORINI CARMINA HEROICA.



SACRATIS. CAESARI RVDOLPHO II. *Rom. Imp. Aug. &c. & Sereniß. Principp.* CAROLO & ERNESTO *Archidd. Austriæ &c. cum aurei velleris dignitate ornarentur, Pragæ 4. Non. Iun. anno* 1585.



Cilicet illustres animos hís aurea virtus
Muneribus donat, virtus quæ sola sepulchri
Nescia, mole sua terris dominatur & astris
Quàm BONVS & sapiẽs fuit huius nobilis auctor
Doni, quàm certa clarus pietate PHILIPPVS.
Hic mollem fugiens, imitatus Iasonis ausus,
Desidiam, veros vitæ properantis honores
Et solidas laudes ratus est sudore parandas,
Strenuus hic sanctæ fidei defensor, in hostes
Et contemptores superum pia censuit arma

Sumenda, & iusto sceleratos ense domandos.
Hinc adeò socios non viles ille laborum
Tantorum, sed magnanimos, sed laude perenni
Heroas dignos, & quorum temporis vsu
Nota fides longo, mentis constantia nota,
Admisit, facinus tam pulchrum pignore firmās
AEterno, tibi quòd nunc felicissime Cæsar,
Carole quod tibi nunc Princeps generose, tibiq́
O Erneste (meis semper celebrande Camænis,
Ocia si facient tua numina) dante Philippo
Qui regit Hesperias felici sydere terras,
Contigit applausu iuuenumq́ senumq́ ferendū.
Nimirū hæc pietas hæc præmia tanta merentur
Iusticia, & reliquæ quæ sunt in Principe dotes
Egregio: nam quem vestræ latet inclita stirpis
Gloria, tam belli quàm pacis tempore parta?
Ecce ferox Asiæ regnator (si modò vires
Parte aliqua vestras & robur sentiat) intra
Caucaseas profugus se abscondet turpiter oras.
Annuat omnipotens voto Deus, omnia cernat
Sub pedibus domus Austriaca ò verticq́ regiq́
Qua sol adueniens, discedens qua micat orbi.

EPICEDIVM GEORGIO HARTMANNO
Baroni Lichtenstainio, Constantinopoli defuncto.

SIc igitur miserande iaces florentibus annis
Et nimium celeri fato subrepte Georgi?

Te mœstus morboq; graui consumptus & ipse
Henricus frater misere deplorat ademptum.
Spargim⁹ & lacrymas nos omnes, queis nihil ista
Morte tua grauius potuit contingere: vulnus
Heu quale absenti facient tua funera matri?
Illa quidem desiderio te expectat acerbo,
Fors & vota facit, diuosq; precatur, ad arces
Vt patrias felix redeas, fors pectore voluit
Qua ratione tibi sociam det prouida vitæ.
Tu vero vitam liquisti lumine cassus
Ante diem, & miseræ matri spem reddis inanem.
Quid tibi nunc prodest generis præstantia auiti?
Copia quid rerum? quid tot subijsse labores,
Vt Scythici regnum domini soliumq; videres?
Quò vires validæ commigrauere iuuentæ?
Scilicet in nihilum nigrantis filia noctis
Cuncta redegit, habes nunc nil nisi inutile nomẽ.
Mentio si qua tui fiet, dicere fuisse.
Sic nos queis secura fluunt nunc tempora vitæ
Exuta pariter dicemur carne fuisse.
O hominum instabilem vitã, quæ pulueris instar
Turbine correpti subito iactatur, & auras
In tenues similis fumo euanescit inani:
Sic rosa luxurians pratis vernantibus ortum
Ad croceum solis, languescit vespere facto,
Declinansq; comam paulatim desinit esse.
At quia fatales nulli exorare sorores
Contingit, nemoq; nigris reuocatur ab vmbris,
Ossa

Oſſa precor tuta requieſcantmolliter vrna,
Spiritus Elyſiis in campis pace fruatur
Felici, donec rurſus cum corpore quondam
Iungatur rediuiuo, inq; omnia ſecula duret.

AD LEONARDVM MERCHERITIVM *Carniolanum, virum elegantiß. ex Hiſpania in patriam reuerſum.*

HEſperio ſoſpes rediјt Leonardus ab orbe,
Heu quibus exhauſtis terra pelagoq; periclis.
Diuæ Pierides cultori aſſurgite veſtro,
Et reduci blandis bona dicite verba labellis.
Sic honor æternus, ſic expers gloria lethi
Surgit, & immenſum viuit longæua per orbem.
Finibus in patriјs annos inglorius alter
Dinumeret ſegnes, ſecuræ gaudia vitæ
Carpat, & ignauum ſine nomine tranſigat æuū.
Quiſquis Vlyſſæo luſtrauit regna labore
Extera, qui mores hominum, & diſcrimina duro
Conatu didicit, dicat ſe iure beatum.
Heu quàm peccandi damnoſa licentia multos
Auocat à patriјs laribus, quàm blanda voluptas
Errones facit, atq; tumens in pectore faſtus.
Vidi ego cui magnum nomen, cui diuitis auri
Copia grandis erat, fido cuſtode remoto
Qui ſcelus in vetitū quoduis, ceu fulmen in altā
Impete cum diro quercum, ſine lege ruebat,

Et ſimul amiſſo quereretur nomine & auro.
Tanta ſolet ſpretæ virtutis pœna venire.
Te per tot varias vrbes populoſq; remotos
Duxit amor veræ laudis, ſtimuluſq; Mineruæ,
O Leonarde tibi ſophiæ patuêre latebræ,
Quicquid & Aonijs concluſum dicitur antris.
Mellifluo quantum valeas ſermone, fatetur
Parthenope Charitum genitrix dulciſsima, teſtis
Ambitioſa tui iam dudum eſt Roma leporis,
Principis Auſtriaci quas iuſſu orator adiſti.
Splendida num taceam facundæ præmia linguę,
Te quibus ornauit nuper manus inclita regis
Qui premit imperio quicquid ſol lumine cernit
Occiduo, præſtans patria virtute Philippus?
Non ſat erat Latios toties vidiſſe colonos,
Noſſe quibus celeri Rhodano ſe miſceat vndis
Lentus Arar, qua ſe pelagus diffundat in altum
Sequana, qua Thameſis refugo nũc flũine creſcat,
Nunc profugo tardam pinũ in ſtatione moretur,
Et quos Rhenus agros quæ męnia verberet Iſter,
Præterea intrepidè pelago te credis aperto
Hic vbi ſe Ligurum oſtentat pulcerrima moles.
Carbaſa diffuſos alterno tempore ventos
Excipiunt, remis interdum frangitur æquor,
Optata donec tandem potiaris arena.
Non bene multa breui cõprendi carmine poſſũt.
Principis inuicti penetras regalia tecta,
Admiſſuſq; graui procerum ſpectante corona
Auguſto

Augusto in solio regem dominumq; salutas,
Exponisq; viæ causam, pacemq; per amplos
Hesperiæ tractus solita dulcedine poscis.
Ille sono placido, & vultu testatur amico
Speratam pacem, pius & tuta omnia spondet.
Nec satis hoc iubet ex rutilo conflare metallo
Extremis quod erat portatum nuper ab Indis
Insigni studio, & celeri conamine torquem.
Huic affixa pari pendebat imago decore
Munifici regis, tituliq; & Marte paterno
Nomina non tantum, proprio sed parta labore.
Hoc discedentem te munere donat in amplo
Rex, quo non alter regnat præstantior orbe.
Tanta fuit doctæ vis atq; potentia linguæ.
Sunt pauci, tales qui nanciscantur honores,
Et pauci redeunt monumentis talibus aucti.
Quod perdunt alĳ nulla ratione per vrbes
Ignotas, ho. tu multa virtute tueris.
Ad patrias sedes redit alter paupere cultũ,
Tu diues precium exhausti fers grande laboris.
Nunc quia nil restat generoso pectore quod non
Tentaris, simul ipsa monet maturior ætas,
Afflictæq; iubent patriæ res (nemo iuuare
Quas melius nouit, præclaris artibus olim
Quàm qui multiplicem coniũnxit sedulus vsum
Tu veluti, rerum diuersarum) ocia iam nunc
Incipe tuta sequi, præsentia commoda carpe,
Quæ tibi pro meritis offert ingentibus heros.

Kise.

Kiselius: quæ non promittit munera tellus
Natalis? reducem te fæmina virq; salutat,
Inq; sinu fouet, & gratis amplectitur vlnis:
Nouit enim, virtus varijs exercita rebus
Quid queat, & sanã quàm paucis Iuppiter æquus
Indiderit mentem, nullum consistere regnum
Posse diu nouit, quod non per Pallados artes
Ingeniumq; sagax, quod non virtute regatur.
Quare age mansurum patrijs optatus in aruis
Fige pedem, tibi Iuno parat iam pronuba casto
Iungere consortẽ thalamo, quæ moribus æquet
Iucundis Charites, Venerẽ forma, arte Mineruã,
Quæ reliquos tecum feliciter exigat annos,
Atq; tui simili faciat te prole parentem.

BOREAE ET PHOEBI CERTAMEN *ad Iohan. Membardum.*

ARmatum perhibẽt Boreã spirantibus alis,
Cum Phæbo radijs septo fulgentibus, acre
Robora cui maiora forent, certamen inisse.
Ergo viatorem, palmæ laudisq; calentes
E desiderio, inuadunt præstantibus ausis.
Puluereo late campo furit impete primus
Terribili Boreas, sæuo conamine tentans
Deturbare viro tunicam, quam forte gerebat.
Sed quanto spirat gelido vehementius ore
Hoc

Hoc magis atque magis manibus cōstringit, eamque
Nequicquam Borea summum perdente laborē
Arctius ille tenet, ne qua vis frigoris obsit.
Colligit inde iubar rutilum, ignitosque capillos,
Et fulgore opplet Phœbus cœlum omne corusco,
At terras æstu, ceu fit quum Sirius arua
Infestat canis, & tellus feruoribus aret.
Impatiens tanti ardoris tunicamque viator
Exuit, atque viam nudato corpore pergit.
Frigora pertulerat Boreæ, non sustinet ignes
Phœbe tuos: at tu laudem palmamque reportas
Victor de victo Borea certaminis acti.
Est aliquid maius duci ratione magistra,
Quàm temerè ferri quo quē rapit impet⁹ audax.

EX GALLICO RONSARDI.

O Quàm terribiles, sæuique fuere capilli
Gorgonei capitis, qui dira in semina versi
Serpentum, mundo tot tristia damna tulerunt.
Non modò debueras pedibus calcare colubrum
O Helene, intortos sinuantem gramine flexus,
Sed penitus stirpem terris abolere nefandam.
Forte ego nuper amorque meus iam sole cadente
Rubra legebamus viridantes fraga per herbas,
Stabat ponè nouo lactis plena olla cremore,
Vimineaque super fiscella suauè nitebat

Caseolus

Casceolus, glacies vt sueuit tempore brumæ.
Ecce rubo erumpit vicino squameus anguis,
Nescio quo tristi fato, cui terga tumebant
Horrendum visu, letali tincta veneno,
Inq; pedem ruit illius quæ charior ipsa
Luce mihi, quaq; extincta non viuere possem:
Non secus ac iam iam violento debeat ictu
Concidere, atq; animã vacuas effũdere in auras.
Tunc ego frigidior quàm nix Riphæa, supinas
Ad cœlos extendo manus & voce dolenti
Impleo conualles & syluas: Orphea nam me
Eurydicenq; illam fore dura sorte putabam.

AD IOACHIMVM VVITFELDIVM
Cæs. Mai. vexilliferum Canisæ.

SI tantum corpus, quantum tibi strenue pect⁹
O Ioachime parens rerum natura dedisset,
Te foret inferior grandis Polyphemus, & omnes
Montibus impositis superas euertere sedes
Confisi validis qui tentauere lacertis.
Sed quia plus animus præstat generosus, & ipsũ
Ardua mens cœlum nullo prohibente fatigat,
Maiores humili tu laudes corpore, magno
Pondere quàm reliqui membrorũ iure mereris.

IOCVS AD GEORG. KLAINSDRETELIVM
Cæs. Mai. ab epistolis bellicis, cum Sophia Strusin-gera nuptias celebrantem.

Non

NOn malè amice facis, gelidæ qui tēpore bru
Cōiugij celebras solēnia sacra, trahisq; (mę
Sponsus in amplexum iuuenem cultamq; puellā.
Scilicet illa potest frigentia membra fouere,
Atq; suo lentas ardore accendere venas.
Illa potest longæ noctis mala tædia certis
Pellere blanditijs, intermissumq; soporem
Languidulis reuocare oculis, & demere curas.
Alma Venus (teneras mentes quæ nectit amantū
Et causam præbet connexus prima iugalis)
Te Sophiamq; tuam fœcundet, sospitet, igne
Destituat nunquam genitali, cernere natam
Bis quinto vt prolem possitis mense parentes.
Fiet, vana mihi nunquam dictauit Apollo,
Vos tantum officij memores, ne perdite tempus.

IN DIEM NATALEM HENRICI NI-
ckardi, Cæs. Mai. Cons. & Secretarij bellici.

EMicat Oceano rursus iucunda profundo
Lux, referens Henrice diē tibi nomine sacrā.
Salue optata dies, lux ó gratissima salue,
Otia quæ nobis, tanta & quæ gaudia portas.
Fallimur, an mensas epulis iam suauibus altas
Cernimus instructas, varioq; madentia vino
Pocula, nostrorum solatia blanda malorum?

Est ita, nil verum mage dicere posset Apollo.
Tota ministerio Bacchi Cererisq; recenti
Incumbit domus, & solito plus omnia feruent.
Ipse pater Nickardus habens in fronte corollam
E vernis pulchrè contextam floribus, inter
Insignesq; viros sedet vnanimesq; sodales,
Et monet vt carpant genialia munera, læta
Fronte, diem peragant hilares, nec tristia curent.
Ecce autem è medio consurgens ordine Vates
Cui vigilans Argus nato cognomina fecit,
Spumantem pateram poscit, veniamq; precatus
Sic ait: hanc iterum socij contingere lucem
Nos voluere Dij, saluo & florente patrono,
Qui secreta gerit ter magni bellica Regis.
Eia agite, & dextras & mecum attollite voces.
Viuat Nickardus Viuat, luxq; ista recurrat
Sæpius, ætatem Pilij Nickardus adæquet.
Hoc dicto, laticem generosum funditus haurit
Primus, & hortatur vestigia facta tenere
In gyrumq; velint cum voto ducere vinum.
Applaudunt omnes, animusq; est omnibus vnus.
Proximus huic pateram Katzenstainerus amicā
Expedit, hūc sequitur mox Klainsdreteliusheros,
Ambo agiles, ambo calamum versare periti.
Mercurio similis vultu, ingenijq; vigore
Leschprandus maturat opus, nec segnis haberi
Vult, in Nickardi vacuat cratera salutem.
Lemannus iuuenis præstans, cui sæpe Cupido
Inspirat

Inſpirat magnam mentem, ſæuuſq; Gradiuus,
Excipit hunc, & ſeſe toto proluit ore.
Treutler idem facit, Elyſia de gente creatus
Aſſuetuſq; mero, & reliqui quos dicere verſu
Longum eſſet: placet ante alios fortiſſimus ille
Seu mauult ſalibus, ſeu largo vincere potu
Huetſtockerus, ouans ſuperaddite ſi lubet vnũ.
Clamat, adhuc hauſtũ, Nickard⁹ plura meretur.
Vnicus in numero, æternus contemptor Iacchi
Helrichius, miſeram miſer ipſe ingurgitat vndã.
Omnia Nickardo nihilominus ore precatur.
Atque hilari geſtu felicia, ſtans pede in vno.
Interea properans ad nota cubilia Titan,
Queq; domũ reuocat, tegitur cęlũ õne tenebris,
Frigidulæ ſpirant auræ, ſopor occupat artus,
Et redit ad ſolitos exorto ſole labores
Vnuſquiſq;, manũ tremula hic, capite ille graua-
Nimirum ſequitur conuiuia lauta veternus, (to.
Fonte ſitim niſi reſtinguas fugiaſq; Lyæum.

STEPHANO SCHLACHTERO, AV-
ſtrio, Conſultorum vtriuſq; Iuris inſignia &
dignitatem accipienti.

MOns eſt in medio terrarũ maximus orbe
Naturę omniparę ſtudio cõgeſtus & arte,
Tunc cum prima noui iaceret fundamina mũdi.
Mille viæ quamuis huc ducant, milleq; currant

Huc iuuenes, sacrum cupidi conscendere montē,
(Est etenim sacer, & diuino numine plenus)
Attamen, heu, pauci voto potiuntur, inanes
Sed referunt multi gressum, nilq; inde reportant.
Illos namq; loci primus deterret & imus
Aspectus, siquidem salebris ac rupibus horrens
Difficiles aditus, duroq; labore patentes
Hospitibus monstrat, quæ sint in vertice summo
Deliciæ ignaris: his cedunt Thessala tempe,
Alcinoi syluæ, biferiq; rosaria Pæsti.
His mihi ne quisquam fœlicia præferat arua
Diuitis Assyriæ, non quicquid in orbe beatū est.
Scilicet hæc illa est Sedes Virtutis, in omnes
Duratura dies, hic Virtus celsa triumphat.
Hanc circumsistūt (ne nunc de Marte loquamur,
Et qui militia decus immortale tulerunt)
Phœbus Pieria redimitus tempora lauro,
Atq; nouem Musæ, consultatrixq; Minerua.
Hic Plato se oblectat, magno cū Socrate, at illic
Gestit Aristoteles, Xenophon, Ciceroq; disertus.
Liuius & Crispus, Plutarchus, Quintilianus
Hic inter virides laurus grata otia carpunt.
Papinianus adest, eiusq; perita propago,
Bartolus & Baldus, Deciusq; & Zasius adsunt.
Hic etiāHyppocratē videas, medicumq; Galenū.
Parte alia insignis vates spectatur Homerus,
Ascræusq; senex, Maro, Flaccus, cumq; Tibullo
Complures alij, tam nostro tempore clari

Quàm prisco celebres, quos si cōprendere versu
Quis velit, vna opera pelagi numeraret arenas.
O ter felicem, cursum qui currere ceptum
Nititur, & quosuis generosa mente labores
Sustinet, ad tantum donec conscendat honorē:
Nam quis honor vel sit maior, vel firmior illo
Quem virtus æterna suis cultoribus offert?
Hunc etiam nunc tu Schlachtere polite capessis,
Schlachtere Austriacæ non vltima gloria terræ
Si mitis vitam dederit tibi Parca future.
Tu postquam à teneris olim feliciter annis
Nomina militiæ Phœbeæ prima dedisti,
Emansor nunquā factus, neq; transfuga, nunquā
Dirutus ære, gradus geminos sed honoris adept⁹
Tam benè, tamq; tuo es solerter munere functus
Semper, vt emeritus miles modò iure cupitam
Accipiasq; rudem, & votis communibus, atque
Vnanimi sensu Doctorum, doctus & ipse
Et Doctor posthac summa cum laude voceris.
Scilicet hæc illa est sedes iucunda beatæ
Virtutis, meta est hæc illa quiesq; laboris
Et cursus tanti: frustra ah quid suscipis, illud
Ad finem nisi constanti quoq; pectore ducas.
Macte igitur Schlachtere tuis prętantibus ausis,
Euenit tandem cupida quod mente petisti.
Hoc faustum felixq; tibi, patriæq; tuisq;,
Vt longū queat esse, precor, semperq; precabor
Ex imo (quo te sincerè diligo) corde.

EPITHALAMIVM VVOLFGANGO *Huetstockero, V. I. D. & Euphrosyne Schnotzingeræ.*


SIc igitur tandē victus VVolfgange recedis,
Pronaq; submittis magno illi colla tyranno
Omnia qui indomito domat arcu, atq; oĩa fręnat?
Sic igitur tandē potuit pręcordia dura
Emollire Venus flammis penetrantibus, ori
Virgineum potuit subducere sicnē pudorem?
Iuno tibi potuit seueram flectere mentem,
Vt teneræ insolito rapereris amore puellæ,
Et fieri cuperes placida ceruice maritus?
Sic me Phœbus amet, sic nullo tempore Musa
Deserat, vt factum laudo VVolfgange proboq;,
Vt tuus ille probat multa grauitate verendus
Atq; vsu rerum clarus pater, optimus altor
Egregiæ sobolis, patriæq; perutilis heros.
Ecquid enim perdas iuueniles segniter annos
In vacuo recubans lecto, nec commoda noris
Quæ secum frugi, casta, & fert fertilis vxor?
Crede mihi satis est possessio magna marito,
Si natos natasq; proba de coniuge, stirpis
Conseruatores nimirum spectet auitæ.
Maior, si cernat lepidos hinc inde nepotes
Ludere, ludentes foueat si molliter vlnis.
Quò genus humanum rueret sine coniugis vsu?

Deficeret, rerum neq; diu natura vigeret.
Exornes ostro; gemmisq; palatia & auro,
Si mulier virtutis amans, si prouida desit,
Splendor erit fucatus & imperfecta voluptas.
Inter mortales affluxit nulla beatis
Delitijs opibusq; domus, consortia sexus
Quæ non fœminei admisit, tædasq; iugales,
Parua caput nunquam post orbis Roma fuisset,
Illam multiplici ni auxissent prole Quirites,
In thalamum raperent cupida cū mente Sabinas.
Singula coniugij quis sacri commoda dicat?
Nullus amor maior, quàm coniugis atq; mariti:
Propterea illa suos linquens animosa parentes,
Cūcta quibus debet, linquens fratresq; sororesq;,
Vnum sectatur, feruenti diligit vnum,
Corde virum, constansq; prius durissima mallet
Quæque pati, à charo quàm longius esse marito.
Si tibi sit sors æqua parum, te æquissima consors
Solatur, quātumq; potest, iuuat, omnia spondet
Tuta, iubet sperare animo meliora resumpto.
Deniq; non tantum mens vna est, vna voluntas
Connubio iunctis, vnam sed corpore in vno
Ambo animam gestant, vita est cōmunis vtriq;,
Imò viro mulier vitales prorogat annos,
Nec finit ante diem squalorē vt contrahat oris.
Non ignara etenim, quid mutua pocula possint
Conueniunt quando grata ad conuiuia amici,
Nunc precibꝰ blandis, lacrymis nūc orat obortis

Ne nimium indulgere velit, genioq; meroq;,
Nec compotando mediam dirumpere noctem:
Vnde venire solent tot morbi, totq; dolores,
Atque adeô properæ dira inclementia mortis.
Rectè igitur VVolfgange, finit dũ firmior ętas,
Legitimo vxorem tibi certam fœdere nectis.
Non est quòd vulgi te vana loquela moretur,
Quod putat hunc nexũ Musis & Palladi obesse.
Illa domus curam geret, ac res gnauiter omnes
Expediet, curis tu liber dulcia carpes
Otia Pieridum, diuersa volumina Iuris,
Et legum euolues animo præsente latebras.
Annuit en tua nupta, probat mea dicta, futuram
Et se promittit qualem cupiesq; volesq;:
Nec fallet, facies generoso tincta pudore
Ingenuis monstrat quantum sit moribus aucta,
Quã gerat in pulchro formosũ corpore pectus.
Lumine captus amor fertur, tu captus amore
Argum luminibus superasti, qui tibi tantæ
Virtutis delegisti formæq; puellam.
Ne genus eximium celebrem, ne cætera dicam
Arbitrio fortuna suo quæ donat & aufert.
Quid si de Charitũ numero tua prodeat vxor?
Euphrosine est, nomen cum rebus conuenit, ô te
Ante alios nimium felicem numine tali,
Ante alios etiam dignum: tu sanguine quippe
Patricio cretus, per tempora multa tuorum
Dinumeras seriem, laudes, & splendida facta.
Tu

Tu vultu, toto tu præſtas corpore, poſſis
Inter vt heroes meritò VVolfgange referri.
Diues vterq; parens natum non liquit egenum.
Aſt hæc parua quidẽ, te virtus, candor, honeſtas
Exornant, clarum faciunt te Iura, tot annis
Quæ vigili ſtudio per doctas gnauiter vrbes
Italiæ, & ſummo es quondam rimatus honore:
Quæ thalamo non digna tuo ſit fœmina? quę nõ
Expetat amplexus talis vel ſponte mariti?
 Qui regis arbitrio cœlum terramq́; ſacrata
Et qui coniugij ſanxiſti fædera primus,
Da precor his ſponſis felicia tempora vitæ.
Da longa & fœcunda, maliſq; carentia rixis.
Tu verò cytharam & plectrũ mea conde Thalia,
Ad ſolitos ſiquidem vocor Aulæ ſcriba labores,
Nec ſemper dulces tecum licet ædere cantus.





SEQVVNTVR

CARMINA NONNVLLA AMICORVM AD AVCTOREM.



HIER. ARCONATO STIPENDIVM *apud Rempub. Venetam merenti, Aloysius Lollinus patricius Venetus.*

MIliti aristiferam properanti visere Cretā
Elysiæ referunt talia voce deæ.
Nate per indomitam varios aditure labores
Virtutem, patrij spes noua facta soli.
Vade, aderit cœptis audacibus inclita Pallas,
Terroris domitor vincere posse dabit.
Ideæ cupient venientem sponte sorores
Excipere, & dulci continuisse sinu.
Forsitan & rediens memorabis lætus ad aras
Carmina Cretæa demodulata lyra.

HIER. ARCONATO, ROMA NEApolim militiæ exercendæ gratia proficiscenti, M. Ant. Muretus I. C. & ciuis Romanus.

Aspice

ASpice vt egregi⁹ iuuenis præſtātibus auſis
Sumat in aduerſos arma decora Scythas?
Caſtalios quis eum credat guſtaſſe liquores,
Phebeæq; fides excoluiſſe lyræ?
Tegmina circundant humeros vulcania latos,
Et tremit in valida tortilis haſta manu.
Macte animo, imbelles qui haſtā verſare Camæ-
Et Martē amplecti numina docta doces. (nas,
Non poteras aliter geminas meruiſſe coronas,
Non alia virtus ſurgit ad aſtra via.

AD HIER. ARCONATVM GEORGIVS
Hauptman Leorinus.

VT fatalis equus nocturno perdidit igne
Ilion, & veteres Laomedontis opes,
Vela dat in patriam ſolers rediturus Vlyſſes,
Telemachum ad natum Penelopenq; ſuam.
Soluerat è Phrygio puppim vix littore, quando
Errat in immenſo per duo luſtra mari.
Erroremq; fugæ decimum producit in annum,
Natales ſcopulos, quo videt atq; focos.
Vnde, quod eſt varios mores expertus & vrbes,
A ſera laudem poſteritate refert.
Tu vero ſtudijs animum decoratus honeſtis,
Liquiſti patriam quando abiture domum,
Arconate nouem decus immortale Dearum,
Tempore iam ex illo nil niſi magna facis.

Si quid habet laudis longinquas ire per oras,
Multa simul terra cernere multa mari,
Non Laërte satus tantum telluris obiuit,
Quantum tu: non Tros sacra lare sq; ferens.
Non, duce quo falsã prima imbuit Amphitritẽ
Argo, in Peliaco vertice cæsa ratis.
Et fors auspicio meliori nominis Argo
Argonate tuos nobilitauit auos.
Iussit te virtus tantos superare labores,
Duxit amor nitidi velleris AEsoniden.
Colchida & Aemoniæ loca iũcta peragrat Iason,
Inter se spatio dissita regna breui.
Omnia visa tibi, qua sol vtrinq; recurrens
Aspicit Eoas occiduasq; plagas.
Creta Iouis magni medio iacet insula ponto,
Heu mihi natali quàm procul Elysia.
Vsa duos annos te milite: dum sacer arma
Mauortis rigidi Pieridumq; geris.
Te Tamesis, te vidit Arar, te Tibris, & vrbes
Gallia quas longè, quas habet Italia.
Te quicquid Calpen discriminat vrbe Leonis
Extremoq; Bobram diuidit Oceano.
Iam tibi se Iason, tibi se submittat Vlysses,
Argonate tuis maior vtroq; vijs.
Vellem etiam ingenij per laudes ire, sed hæret
Lingua tui in medijs capta fauore, sonis:
Nec potis est, nostræ pars Arconate medullæ,
Orphæam merita dicere laude lyram.

Qua superare Linũ, vatemq; Amphiona, & ipsam
  Possis (si fas sit) vincere Calliopen.
Ipse tibi Phœbus viridanti tempora lauro
  Protinus assurgens impedietq; comas.
Pegasides in monte suas Helicone corollas
  Texunt, vincturæ iam tibi dulce caput.
Addit se sociam, proprios visura lepores,
  Myrtosq; ex ipsa fert Cytheræa Papho.
Quid? mea non altrix de tanto dulcis alumno
  Gratuler? aut quid non te super astra feram?
Parua solo exiguo caput inter nubila condis:
  Quàm benè te patrius Mons vocat atq; Leo.
Qualis enim celso mons vertice certat Olympo
  Parnasus, valles supra humilesq; casas.
Aut Leo magnanimus medio sese arduus infert
  Agmine, quod regem ponè suum sequitur:
Talis & ingenijs pridem cœlestibus aucta,
  Tu præ vicinis vrbibus vna nites:
Quàm tulit ante tibi palmam Reusnerus, eandẽ
  Nunc Arconatus donat honore pari.

IN DISCESSVM ARCONATI, VATIS *egregij & amici perchari, Byzantium, I. Sambucus Scrip. ad V. Non. April. M.D.LXXXIIII.*

CAesaris inuicti promptè dum iussa capessis,
  Et Thracum Domini mænia celsa petis.
Deseris ah fratres? charas cum matre sorores
  Linquis? amicorum nec tibi cura subit?

Barbara ſi ne placet Latio miſcere lepori?
Non illic Helicon, Pieridesue magis.
Quæ te mens vrget tot ſumere velle labores,
Ocia dum liceat grata thorumq; ſequi?
Ante ſatis miles pelago iactatus in alto es,
Ante ſatis paſſus triſtia multa ſolo.
Tot tibi linguarum & populorũ cognitus vſus,
Vt poſſis ſummos ſemper adire gradus.
Quid iam verſiculi proſunt queis ſæpe Catullum
Aequas? quid reliqui profuerint numeri?
Sed præferre tuis Patriæ quum commoda malis
Vſibus, & faciant nulla pericla moram.
I felix, ductore Deo, tua ſemper imago
Reſtabit nobis, exhilarabit amor.
I patriæ quò cura trahit, iubet optimus ipſe
Quò Cæſar, quò te prouida fata vocant.
Pectore ſeruato commiſſa fideliter: aures
Sint faciles, oris rarior eſto ſonus.
Præmia te excipient reducem non vilia: honores
Augebit tanti Gratia mitis Heri.

SVO H. ARCONATO, CONSTANTI-
nopolim eunti, Georg. Hauptmannus Leorinus.

NOn ſatis eſt luſtraſſe Iouis cunabula Cretẽ,
Quæq; iacent alto cætera regna mari.
Non

Non ſatis eſt inter rigidos bellaſſe Britannos,
Armorum dubias & ſubijſſe vices,
O ingens Patriæ noſtræ decus Arconate,
Quin & Turcaicum hunc mediteris iter.
Vt ſecreta gerens magni commiſſa Rudolphi
Fida Oratori ſis ſtatione comes.
His optata vijs ad laudem gloria ducit,
Quos animo & factis id meruiſſe probat.
Illa ſuper Rhodopen, gelidiſue in vallibus Hœmi
Læta ſedens auſis præcinit orſa bonis.
Nuper eras ſæui miles Mauortis in armis,
At modò ſub placida Pallade miles eris.
Si fortuna potens, ſi vis inuicta Tonantis
Fata tibi quondam non ſatis æqua dedit.
Principio tali, rerum conuerſio felix
Fata tibi, vt ſpes eſt, mox meliora dabit.
Mens modò ſit contra caſus animoſa futuros,
Nec pigeat longas te ſuperare moras.
Non prius Aeſonides abduxit Colchide vellus,
Multa prius nulli quàm toleranda tulit.
Et tibi ab Aemonia nomen fors contigit Argo:
Det Deus vt ſimili laude paretur honos.

HIERONYMO ARCONATO POETAE,
Henricus Porſius. V. I. D.

NVper vbi Cynthi ſuperato culmine terram
Et cunas Phœbi contuiturus eram.

Desertam Delon, desertaque culmina Cynthi
  Miror, & vbertim marmora strata solo.
Hæccine terra tibi natalem præbuit ortum ?
  Hæccine plena tuo nomine, Phæbe, fuit ?
Hic populis olim proferre oracla solebas,
  Cumque sorore leues hic agitare feras ?
Quis te, quis comites Musas hac sede fugauit ?
  Quis ferus æquauit tecta sacrata solo ?
Hæc & plura queror: dubio cum prodita ab ore
  Auribus excipitur vox inopina meis.
Pythonē hic quondā prægrādi corpore monstrū
  Confecit iaculis victor Apollo suis.
Barbarus hunc rursum, nil tela moratus & arcū
  Eiecit Python hac regione procul.
Heu fuge Pythonem terrū, fuge barbara regna,
  Est alio Phæbus, quem sequere, ipse loco.
Territus extemplo, quisquis fuit ille, loquentem
  Desero, & ancipitem per iuga prendo viam.
Ille refert Phæbi sedes, comitesque Poëtas,
  Quos fuerit cunctos longa referre mora.
Cuius erat nomen, cuius mihi cognita Musa,
  Arconate tui mentio facta subit.
Qui variante lyram Phæbeam pectine versans
  Non minimum mereas vatis habere locum.
Præsta age te dignum vatis tituloque locoque
  Ingenium cui dat Cypris, Apollo lyram.

Idem.

Quod

Quod lædi Idalio ſis arcu natus, ab illo
Non inconueniens omine nomen habes.
Te ſtimulans arcu natus Cythereidos, arcus,
Arconate docet commemorare ſuos.

NOBILI VIRO, ET EGREGIO VATI H. Arconato, Iohan. Leuenklau Conſtantinopoli prid. Non. Mart.

QVod lædi Idalio ſis arcu natus, ab arcu
Omen qui voluit nominis eſſe tibi,
Fallitur (Idalio licet haud ſis tutus ab arcu)
Ex alio tamen hoc omine nomen habes.
Arcu naſcentem Clarius, te, Thrax deus arcu
Donat, vterq; fauens ad ſua caſtra vocat.
Arconate tibi hinc arcus è marmore ſurgent,
Fatali, his natus, nomine digna geres.

Idem.

Arconate quid hoc? pridemne tyrannide pulſas
Cauſea Muſas huc retuliſſe pedem?
Tene ducem faciles Phæbo comitante ſecutas
Threicio dicam nunc reſidere ſolo?
Sic eſt, traxit eas quondã Rhodopeius Orpheus,
Orpheus Sythoniȷs alter es ipſe plagis.

Idem, ex portu Selymbriæ, oppidi Propontidis.

Dum Selybriaco boreas Hieronyme portu
Nauim agitat, curis heic variȷs agitor.

Non mihi quòd ponti rabies ignota furentis
  AEneæ cruciant damna dolenda mei,
Illius ob morbum, fidus velut alter Achates,
  Tristia sollicito pectore multa premo.
Materiam ratis vna, cui Victoria nomen,
  Omine sperandi dat meliora suo.
Victor Christus adest, duce quo Victoria ventis
  Ionio in magno vela secunda dabit.
Donec in Euganeo portu secura quiescat,
  Hic mihi mœstitiæ terminus esto meæ.
Tunc ego terrarum cœliq; marisq; potenti
  Suspendam exuuias, votaq; dona Deo.

AD HIERON. ARCONATVM, VT *edat sua poemata, Nicolaus Betsius Belga Mechliniensis.*

PHæbi & nouenarum sororum nuntius
O Arconate laurea dignissime,
Huc mittor, eius atq; earum nomine
Mandem vt tibi, referta quæ poemata
Summis leporibus, per annos supprimis
Multos, vt in lucem venire iam sinas,
Legiq; ab omnibus sacræ poeseos
Cultoribus: nolunt enim sua munera
Abscondier, sed omnibus communia
Esse hæc volunt, si feceris, famam tibi

Promittit æternam, dies qui temperat
Annosq́; : si verò recuses exequi,
Reposcet ille dona quæ tu negligis,
Lauro carebis, & perenni gloria.
Hoc iurat ipse per iugum quod incolit,
Suumq́; numen, & sacram cytharam suam.
Omnes sequuntur hanc Deæ sententiam.
Iussum peregi, tu vide quid feceris.

AD H. ARCONATVM APOLLONIVS
Menabenus D. Physicus Italus.

EX nûmerislauro quisquis sibi tẽpora cingit,
Numine vel tantum sæpe, vel arte valet.
At tu cum vates prælongo tramite multos
Exuperes, dici sic tibi iure potest:
Cynthius effundit sacro de pectore numen
In te cum tota largius arte suum.
Numinis atqui vtinā tantũ, tantũ artis Apollo
Non solumq́; mihi nomen inane daret,
Carminibus magnis inter te sydera ferrem,
Et mea Musa tuum diceret vsq́; decus.
Hoc quicunq́; igitur munus conatur obire,
Non mihi, sed par sit numine & arte tibi.

DE HIER. ARCONATO, POETA
Iohan. Petrus Magnus Medicus Italus.

IN POEMATVM LIBRVM HIERONYMI *Arconati &c. Stephanus Schlachter* I. V. *Doctor.*

SI quis dulcisoni fides Tibulli,
Si quis melliflui iocos Catulli
Non audire velit, vel audiendo
Plus satis teneras replesset aures:
Hunc voluat manibus nouum libellũm,
Huic aures faciles nouo poetæ
Donet: versiculos suauiores,
Multò blanditias iocosiores
Quàm cultus cecinit Tibullus vnquam,
Quàm lusit lepidus Catullus vnquam
Hîc certè inueniet: legat, fouebit
Ni sit ferreus, hunc nouum libellum.
Dicet iudicio minus sinistro,
Dignum hunc esse nouum & bonum poetam
Qui vates referatur inter illos,
Quorum posteritas benigna famam
Et tersos numeros ad astra tollat.



ELENCHVS

EORVM QVIBVS HOC in opere aliquid inscriptum est.

A

Caro-

Iohan.

Seba-

FINIS.

Hæc erudita poemata perlegi, & digna typis iudicaui: Quod própria mánus subscriptione attestari volui

Ego Stephanus Schlachter V. I. D.
& in Academia Viennensi Poeseos Professor.

ERROR DEVIVS VIRGINIS RVTHENAE.

Per Michaelem Verantium &c.

QVa patet in latos prępinguis Ruſcia cāpos,
Sylua iacet denſis ampla vetuſq; comis.
Cuius vt à Zephyris æquata cacumina nutant,
Subdita ſic molli gramine vernat humus.
Si ſpectes pulchro concordes ordine quercus,
Ex vna dices arbore ſtare nemus.
Quod ſi ſubſtratum deflectas lumen in æquor,
Picta ibi diuerſo prata colore vides.
Sunt tamen & denſi frutices, cæciq; meatus,
Quos viridis condit vertice ſylua ſuo.
Huc ſtudio florum, tectis egreſſa paternis
Defertur facili Virgo Ruthena pede.
Quam non alliciant tempe hæc formoſa puellā
Cuius adhuc mentem florea ſerta tenent?
Non bene conſpecto ſale parcit ouicula linguę,
Non bene conſpectis abſtinet vrſa fauis.
Non inguſtato decedere apicula pratis
Non indecerpto fœmina flore poteſt.
Ergo vbi ſubluſtri ſic ſola vagatur in vmbra,
Et pulchros flores, pulchrior ipſa, legit.
Suauibus incingit violis frontemq; comamq;,
Auribus ornandis proxima cura fuit.

Inde

Inde rosas nectit qua pectus parte papillas
  Prodit, & é stricta trudere veste solet.
Nec caruere manus alternis floribus, illis
  Fert calathos plenos, fert tumidosq; sinus.
Cuncta licet repleat, tamen haud saciata priores
  Abijcit, & rursus carpit auara nouos.
Tum quò lenta magis profert vestigia, tanto
  Hos fragrare magis, hosq; rubere putat.
Interdum lætas extollit ad æthera voces,
  Subsiliens tenero terue quaterue pede.
Nec reuocat gressum, sed curis mente remotis
  Progreditur, semper lilia sparsa legens.
Hac ratione subit sensim dumeta rubosq;,
  (Ah loca non illi sed magis apta feris)
Atq; oblita domus patriæ, spaciatur opaco
  In nemore ignotis errat & vsq; vijs.
Iam medium Titan dudum transmiserat orbem,
  Surgebatq; humili Cynthia pura face.
En miseræ primum redeundi cura subintrat,
  Desinit en primum carpere velle rosas.
Fert retrò gressum, creditq; hac parte reuerti,
  Qua sub circumstans iuerat ante nemus.
Illa quidem notos iam iam se cernere fumos,
  Et quibus exierat, proxima septa, putat.
Sed postquā intactos passim per gramina flores,
  Et nullo sectas conspicit vngue rosas,
Hei mihi non hæc nos huc, clamat, semita duxit,
  Quò feror? aut quo me deuius error agit?

Nec mora, conuertit paſſus, ſaltuq; remenſo
  Diuerſum fruſtra ſæpe retexit iter.
Luminibus tamen attentis obſeruat, an vſquam
  Aut quercum aut pinum noſcere forte queat.
Sed nec quercus adeſt vſquã, nec cognita pinus,
  Nec calcata recens ſigna dat herba pedis.
Credo ego ꝙd latebras nemo penetrarit ad illas,
  Solas præter aues, præcipiteſq; feras.
Fixa igitur trunco ſimilis ſtetit, & grauis illi
  A ſummo fluxit vertice ad ima pauor.
Contremit vt lino circundata cerua doloſo,
  Expectans qua iam ſpicula parte volent.
Aut auis, aſtuti quam deceptam aucupis arte
  Virga venenato perlita melle tenet.
Quid faciat? ſolum quod reſtat, pectora palmis
  Tundit, & effuſo proluit imbre genas.
Omnia flebilibus complet miſeranda querelis,
  Et crudele nemus tartareumq; vocat.
Indignum, faciem quod cernat virginis vllam,
  Aut quod ſerta legens vlla puella petat.
Nec puto florilegas habitare hęc luſtra Napæas,
  Inquit, at incertum his, vt mihi, noctis iter.
O mihi ſi vltrices quis flammas porrigat, ater
  Fronde ſua fieret iam nemus omne cinis.
Talia collacrymãs nequicquã verba profundit,
  Suſpenſamq; tenent ira timor tenebræ.
Nunc queribũda ſedet, nunc indignata reſurgit,
  Et modò quod pergit, poſtmodo ſiſtit iter.

Nunc fratres laſſa implorat nunc voce parentes,
 Voce ſua rurſus territa facta ſilet.
Floribus at quoties accenſos flexit ocellos,
 Atq; odij quædam paruula ſigna dedit.
Ah pereant, dixit, per quos ego perdor, abite
 Ite ſinu, & ſimilis deijcientis erat,
Nec tamen illa ſinus, licet irritata, remiſit,
 Corde libet pœnas ſumere, dextra nequit.
Fracta malis, gemitum, vocē, greſſumq; coercet,
 Augebant veſper, mutaq; ſylua metum.
Dumq; ita, cuncta pauens, tacita ſe cōtinet ūbra,
 Latrantis ſonitum percipit aure canis.
Spe ſumpta, ad ſonitum totos exporrigit artus,
 Nec ſolos, certa eſt, ire ſolere canes.
Aut, inquit, venator adeſt comitante moloſſo,
 Aut ferus infirmū ſeruat ouile canis.
Aut me nō reducem fratrum pia turba requirit,
 Aut aliquis cæcis errat, vt ipſa, locis.
Hæc meditans ſecum, latratibus obuia tendit,
 Sed dubio prorſus ſollicitoq; gradu.
Imo cauet nequis ſe cernere poſſit euntem,
 Vtq; feras metuit, ſic timet ægra viros.
Conſpicit in modico veluti tentoria prato,
 Et ſubitò, corpus fronde tegente, ſtetit.
Quinq; videt iuuenes epulis incumbere partis;
 Namq; dabat feſsis præda ferina dapes.
Participes operis, polluti ſanguine rictus,
 Hinc ſtando ſpectant inde iacendo canes.

Exoritur formido noua, & noua cura, resurgit,
Debeat ignotos, nescit, adire homines.
In partes animum varias rapit, omnia tandem
Versans, vna timet quinq; puella mares.
Sed timet & syluas, & densa silentia noctis,
Quæq; solent syluis monstra habitare nigris.
Error agit mentem pariter cũ corpore, necquid
Vltra suscipiat, quid fugiat ue tenet.
Hinc si iter arripio, & tentoria viso propinqua,
Spero, ait, in rectam posse redire viam.
Sed nõ hęc, uereor, quæ nunc est, fama manebit,
Fors delibato damna pudore feram.
Ante lupi lanient igitur mea membra voraces,
Aut secet in partes mille cruentus aper.
Quàm mea virginitas totos seruata per annos,
Turpiter, hîc adeò contemerata, cadat.
Quis nescit iuuenum quàm sit petulantia vęcors?
Quippe frui censent virginitate iocum.
Et nox ipsa nihil suadet moderabile, noctis
Tu quoq;, clamabunt, præda cupita venis.
Adde quòd omne nefas loca suadẽt abdita syluę:
In syluis, dicent, omnia virgo licent.
Stulta prius dentes metui moritura ferarum,
Plus puto nunc homines posse nocere feris.
Sed fera nec verbis, nec fletibus vlla mouetur,
Dilacerat medio gutture surda preces.
Humanas poterunt aures mollire precantis
Verba, dolor, gemitus, cordolium, lacrymæ.

Accedam supplex, homines insana verebor?
An melius saeuis hisce perire locis?
Forsitan infelix vitam seruabo, sed illa
Incustodito corpore qualis erit?
Cuncta mihi potius sunt experienda priusquam
Excludant summum lumina nostra diem.
Excludant, peream, sperno violata salutem.
Eligo, si nequeam viuere, casta mori.
Quòd si visa forem prius his, quàm vidimus illos,
Errori posset parcere quisque meo.
At si sponte petam iuuenes tot sola, putabunt
Quaesitum Veneris me in nemus isse iocos.
O si quae nostrum tegerent velamina corpus
Rustica, velamen nunc mihi molle nocet.
O facies, quae me laedet, si ignobilis esset:
Vae miserae, contra me mea forma facit.
Vt formosa suo facies fert tempore fructus,
Tempore non apto sic quoque damna capit.
Esto, vim patiar, mentem vis vincere nescit:
Turpe facit corpus mens scelerata suum.
Ah modo ne ante diem virides mors auferat an-
Quod vitare nequis dissimulare licet. (nos,
Sed semel amissum vultu praeferre pudorem,
Res est quam virgo fingere nulla potest.
Fingere fac possim, noscent mea crimina quinque,
Quinque sciant, totus conscius orbis erit.
Vt taceāt homines, volucres scelus esse querētur,
Gramina me prodent, arboreaeque comae.

Proh, qui cuncta vides, celsi regnator olympi,
Aspice quo mea sint vita pudorque loco.
Sylua tenet clausam, læso candore patebit,
Hinc mors, morte premit durius inde nefas.
Quid moror? hic morte potius pia vicat honestas,
Hoc pater, hoc genitrix, frater & ipse iubent.
Quin non vlla salus, non est mihi Ruscia tanti,
Ducar vt in thalamum post, viciata, nouum.
Casta faue castæ Virgo, cum virgine Nato,
Si duo non temere numina tanta colo.
At vos ô mecum fugite hæc, fugite aspera sanctæ
Saxa pudicitiæ, candor, honor, probitas.
Præstat in his totum syluis errare per æuum,
Vna, quàm bona tot perdere, nocte simul.
Sic ait, & quasi iam morti deuota, silentes
In nemorum latebras per loca cæca redit.

FINIS.



